ANTI-DIANA, SIUE ADMONITIO APOLOGETICA AD R.P. ANTONINUM DIANAM, CIRCA...

Antonius Betancor, Antonino Diana

ANTI-DIANA,

SIVE

ADMONITIO APOLOGETICA

AD R.P.

ANTONINVM DIANAM,

Circa ſuum Tractatum de poteſtate exauthorandi Reges, Decimæ parti ſuarum Reſolutionum nuper additum.

PER D. ANTON. BETANCOR, V. I. Doctorem.

M. DC. LIII.

ANTI-DIANA,

SIVE

ADMONITIO APOLOGETICA

Ad R.P. ANTONINVM DIANAM, circa ſuum Tractatum, cuius inſcriptio & tenor eſt;

Præfati Tractatus

R.P. ANTON. DIANA

De Poteſtate exauthorandi Reges

RESOLVTIO X.

Breuis digreſſio occaſione eorum, quæ ſuperiùs firmata ſunt.

DIXIMVS *ſupra, Chriſtianos Reges per Pontifices exauthorari. Sed inter portenta æui noſtri prima ſubſellia obtinet factum, quod accidit in Luſitania, in qua Joannes Dux Brigantinus in prætenſum Regem à Populo, & Proce-*

ribus electus fuit, & Augustissimus Rex noster Philippus IV. depositus, tanquam titulo, & exercitio Tyrannus: nec hodie aliqui verentur hæc publicè asserere, & typis mandare; quæ absque stomacho audiri aut legi minimè possunt: nec enim fas est viro Religioso, licet Regi suo addictissimo, in alia verba acerbiora prorumpere. Siste itaque, Lector, mecum parumper. Tyrannus titulo est ille, qui nulla iura successionis habet, sed iniusto bello in Regno se intrudit. Ita Becan. in 2.2. q.64. de homicid. q.4. concl. 1. Tholosan. de Repub. lib. 26. c. 7. Syluius in 22. D.Th. q.60. art. 6 paulò ante concl. 1. Ioann. Vuigers. de iustit. tract. 2. c. 2. dub. 4. num. 10. Ludouicus Richeomus in Apolog. ad Henricum IV. cap. 20. n.115. Schombonerio Myllerius, Oenonius, Althusius, Tannerus, & Lessius vbi infra, *& Doctores communiter. Sed Augustissimus Philippus II. Hispaniarum Rex habuit iura successionis in Regnum*

Portu

Portugalliæ luce meridiana clariora. Ergo impie dicitur fuisse Tyrannus titulo illius Regni. Minor patet, nam vniuersus Orbis scit, Academias Salmanticensem, & Complutensem, quæ oracula Europæ, & Emporia omnium scientiarum meritò dici possunt, pluries vota sua dicto Regi dedisse, asserentes ipsum ius certum habuisse succedendi in Regnum Lusitaniæ. Vnde non deseram hic apponere verba eruditissimi Christophori Besoldi, *qui ex Lutheranismo fœliciter ad gremium Romanæ Ecclesiæ conuolauit, sic itaque asserit*, in dissertatione Phylologica de arte, iuréque belli. c. 5. num. 15. Rex Hispaniæ omnibus copiis in vnum locum coactis, antequam in Lusitaniam ingrederetur, non contentus tot antea consultorum Theologorum iudicio, & sententia, quam summa cum diligentia exquisiuerat, voluit denuo in Vniuersitate Alcalana (vbi facultas Theologica

maximè floret) quæstionem de exercitu in Lusitaniam ducendo, deque postulationibus Oratorum Lusitaniæ, examinandam proponere. Congregatis itaque omnibus Theologiæ Doctoribus (erant autem plures quàm triginta) precibus ad Deum fusis, sacrisque factis, de quæstione proposita (quam singuli priuatim diligentissimè excusserant) tribus sessionibus disputarunt. Quamuis enim illa non esset adeò difficilis, & intricata. Descenderunt autem magno consensu ad eandem sententiam cum illis, quos Rex priùs consuluerat (quorum tamen argumenta, & rationes non viderant) & Decretum in formam authenticam redactum ad Regem miserunt. *Ita ille: & ante illum magis late* Conestagius lib. 3. Histor. Portugal.

Nec obstat dicere, quòd in illo casu Philippus II. non debebat recurrere ad Iurisperitos, & Theologos, sed ad Iudices Regni

Portu

Portugalliæ. Respondeo, quòd ad hoc argumentum latè responderunt Doctores, qui iura Philippi II. tutati sunt in suis operibus impressis. Sed pro curiosis adducam Authorem vsque adhuc non adductum: & is est sàpientissimus Rodericus Arriaga in Cursu Theologico. tom. 3. disp. 24. sect. 5. subsect. 4. num. 46. *vbi sic ait*: Dices: Per se ad omne Regnum, & Prouinciam pertinet, vt deficiente hærede Regni, Regnum sibi eligat Caput: ergo saltem ob eam rationem, habet ius, vt in dubio de hærede decidat causam. Respondeo in casu præsenti non esse defectum hæredis, sed quis eorum iuxta leges, aut dispositionem priorum Regum habeat maius ius, vt in Portugalliæ Regno contigit sub Philippo II. constabat enim esse hæredes sufficientes; sed dubitabatur, an fœmina filia viri, an verò vir filius fœminæ succedere deberet, iuxta

regulas maioratus,& ciuilem dispositionem; non pertinebat autem ad Regnum, quà tale, hoc ius decidere, quia non Regnum, sed prædecessores Reges clausulas hereditatis constituerant. Vel certè si ad Ius ciuile attendendum erat, non poterat Regnum Lusitaniæ, quà tale, specialiter illud ius decidere. Ideo meritò Philippus non recurrit ad Regnum, sed ad Iurisperitos, qui in ea causa optimi Iudices esse poterant: neque ideo potuerunt illi vitio vertere Prudentes, quòd id fecerit: ergo non est vniuersaliter verum, id debere à Regno ipso decidi. Vnde vltimò censeo vniuersaliter loquendo, in omnibus ferè casibus optimum modum componendi talia dubia, esse per Iurisperitos & Theologos, qui quid in cōscientia; quid in iure Rex possit facere, decidere optimè possunt. Nam licet agatur de Regno, quod habeat ius electio-

electionis, ſemper tamen in ſimilibus dubiis multa miſcentur, quæ ius commune, & conſcientiam tangunt, hæc autem non poſſunt commodè decidi à Regno id eſt, à Proceribus Regni, ad quos alioquin ſpectaret electio, commodiſſimè autem deciduntur à Iuriſtis & Theologis: nec per hoc inducitur barbaricus mos, quandoquidem maximè attenditur ad rigorem Iuris, & conſcientiam. *Hucuſque Arriaga.*

Et ideo P. Bardi de conſcientia diſt. 4. cap. 24. num. 6 & 7. *poſtquam adduxit Vaſquez, & alios Authores, quos etiam adducunt moderni Luſitani, aſſerentes quo pacto Principes deberent procedere circa Judices eligendos, tandem ſic aſſerit* num. 8. Hæc & ſimilia dicunt hi Authores; attamen in praxi ordo iſte à Principibus abſolutis minimè ſeruatur: vnde tanquam certum exiſtimo, antequam Rex, qui prætendit bel-

lum illud indicat, adhibendum esse plurium consilium, qui nulla suspicione notari valeant, timoratæ conscientiæ, & prudentes, qui absque passione causam examinent, & secundum eorum sensum, perpensis omnibus circumstantiis, determinent, quid licitè à Rege sit faciendum. *Ita Bardi. Hinc absolutè firmauit Stephanus Spinola.* De Agibilium electione. disp. vlt. sect. 7. *Regnum, quod possessione caret, posse à quolibet, opinionem probabilem habente, armis occupari. Sed quid dicendum in casu nostro, in quo ius aderat certum?*

Et tandem pro iustitia inuasionis Regni Lusitaniæ factæ à Philippo II. indiuidualiter vide Doctissimum Petrum Hurtadum de Mendoza de fide, spe, & charitate. vol. 2. disp. 169. sect. 7. §. 65. cum seqq. *vbi quærit. Vtrum Princeps in occupanda Prouincia sit subiectus alicuius iudicio? Et negatiuè respondet, ac præter alia*

alia:hæc aſſerit. Statuo præterea, poſſe Principem declinare iudicium ipſius Regni, de quo agitur, quando in eo non ſunt iudices æqui, quia prauo aliquo affectu mouentur; Qui enim dicunt ſtandum eſſe iudicio Regni, de quo eſt controuerſia, aſſerunt non teneri Principem ad ſtandum Regni iudicio, quando deſperatur æquitas, quemadmodum Philippus II. Luſitaniam occupauit inexpectata Luſitaniæ ſententia, quia Regnum vniuerſum, Caſtellanis infenſum, iudicaturum erat non ex æquitate, ſed ex inimicitia. Quando nullum eſt probabile argumentum de inclinatione Regni in partem alterutram, ſed potiùs de æquitate: dubitatur, vtrum Princeps poſſit ſuo ſtare iudicio, an teneatur ſententiam à Regno audire? Exiſtimo eum poſſe ſuo ſtare iudicio, nec teneri ad expectandam Regni ſententiam. Ita

P.Molina disp. 103. §. quando inter duas Respublicas. P. Suarez disp.13.sect. 6.n 6.vbi asserit, Principem posse, cognito iure, rem occupare absque aliorum iudicum sententia. Hanc autem esse communem iis temporibus docuit P. Luisius disp. 90. dub. 2. vers. P.Molina. Probatur, quia Rex habet in Regnum dominium supremum: ergo non subiicitur Regno in disceptatione. Probo consequentiam; quia caput non tenetur subiici membris cæteris. Confirmatur. Totum Regnum est subiectum Regi; Rex autem Regno, minimè. Nec in aperto iure tenetur Rex expectare Regni sententiam, vt tenentur cæteri alij, quando eis interdicitur lis: ergo nec ad idem tenetur Rex in iure probabili. Antecedens fatetur P. Vazquez. Probatur quia Regi constat Regnum esse suum: item est certus, sibi iniuriam inferri, si auferatur:

ratur:habet aliunde in Regnum,& in Regno ſupremum ius : cur ergo Regnum non occupetur. Conſequentiam probo;quia ideo in iure euidenti poteſt , quia ipſe eſt Dominus ſupremus ; ſed iure probabili eſt etiam Dominus ſupremus in ſua prudenti æſtimatione ; ergo poteſt prudenter ſe gerere,vt Dominus ſupremus : nam iudicium illud probabile de iure infert hoc euidens ; ergo licitè poſſum me præſtare Regem. *Huc vſque Hurtadus de Mendoza.*

Sed pro certo iure Philippi II. in ſucceßione Regni Portugalliæ , præter Doctores citatos , & alios Hiſpanos , quos ex industria relinquo , vide ex Italis Martham de iuriſdict. p 1.c.26. n.100. Borellum de præſtantia Regis Catholici, cap.46.num.20. Viperanum in comment.de obtenta Portugallia. *Ex Germanis,* Chriſtophorum Beſoldum in

diſpu

diſputat.de Regia ſucceſſione,diſſert. 12.Theſi 9.& 10.*vbi paucis multa complectens,ſic aſſerit.* Carolus Mariæ Luſitanicæ, & Philippi Hiſpaniarũ Regis filius (de cuius morte omnino videatur Thuanus lib.41.à princ.)ſi vixiſſet, ſine controuerſia in Regni ſucceſſione, poſt Sebaſtiani necem, Henrico prior fuiſſet,quia iam ſemel ad lineam Ioannis tranſierat Regnum. Cum verò Carolus ante Sebaſtianum expirarit,ſucceſſitHenricus,vtpote omnibus aliis propior gradu. Et falſi fuerunt iſti qui Philippum etiam Henrico præponebant. Fuit quidem Sebaſtiani mater,ſoror Hiſpaniarum Regis,& proinde is tanquam auunculus, vno gradu anterior Henrico erat,Sebaſtiani patruo magno, ſed metienda eſt proximitas,reſpectu ſtirpis, à qua Regnum prouenit.

Henrico iure optimo ſucceſſit Philippus

lippus, Parmenſem enim propinquitate vincebat: nec is (vt & Bragantiæ Duciſſa) Eduardum poterat repræſentare, quemadmodum Profeſſores Patauini voluerunt: non enim fœmina, à mulieréve deſcendentes ius referunt, & exhibent maſculinum. Haud namque ius patitur naturæ, nec iuris rationes, quæ vim naturæ imitantur, vt quæ verè fœmina eſſet, repræſentationis iure pro mare haberetur. Ac quamuis ij, qui Regnum hocce petebant, omnes forent conſobrini, à Regis Henrici fratribus, ſororibuſque prognati, non tamen ſuam ſaltem, ſed & matris perſonam prætexuit Philippus, cum nempe eam Emmanuelis (ſtipitis cõmunis) primogenitam, & Sabaudiæ Ducis parente natu dixerit maiorem, vt apparet. Non ergo omnem repræſentationem, vt cenſet Author exoterici diſcurſus; ſed in hoc tantùm caſu,

&

& inter huiusmodi personas (quemadmodum Parmensis, & Bragantia voluêre) nullo eam iure defendi contendebat. *Hucusque Besoldus. Vnde ex his omnibus patet, quam temerario ausu asserant Aduersarij, Magnum Philippum II. & alios subsequentes Reges Hispaniæ fuisse in Lusitania titulo Tyrannos. O verba ardenti cauterio inurenda? Et quidem si optimè docet* Malderus de iure, & iustit. tract. 3. c. 1. dub. 4. Lessius lib. 2. c. 9. dub. 4. n. 9. Vuigers tract. 2. c. 2. dub. 4. num. 11. *cum aliis. Quod vt quis non dicatur Tyrannus per abusum potestatis, sufficere probabilem titulum vsurpati Regni. Iudica tu modò, Amice Lector, ex superiùs dictis, quo pacto ab Aduersariis asseratur, Philippum II. non habuisse saltem probabilem opinionem tituli ad Lusitaniæ Regnum inuadendum, & occupandum. Vnde sine temeritate an dici possit fuisse in Regno Lusitano titulo Tyrannum?*

Sed

Sed quid dicendum de Tyrannide quo-ad exercitium? Dico itaque quod etiam [s]tando in opinione, quam supra impugna-[u]imus, nempe, Populum, & Proceres posse [d]estituere Regem Tyrannum exercitio, talē [t]yrannidem debere esse notam, obfirmatam, [i]ntolerabilem, & sine vllo alio remedio do-
et Vuigers, Becanus, & Bañez vbi su-[p]ra, Couarruuias practic. qq. cap. 1. n. 6. [S]combomerius in Politica. lib. 2. c. 37. [N]icolaus Myllerus in addit. ad com-[m]ent. Rumelini Aureæ Bullæ Caroli V. part. 3. dissert. 2. Thes. 23. Lessius [li]b. 2. c. 8. dub. 4. n. 12. Caietan. in 2. 2. q. [6]4. art. 3. Sotus de iustit. lib. 4. q. 1. art. 3. [T]annerus tom. 3. disp. 6. q. 8. dub. 3. n. [1]3. Molina de iustit. tom. 1. disp. 26. Al-[th]usius in Politica cap. 38. num. 57. [T]heodorus Reinkinkg. tract. de Re-[gi]m. secul. & Eccles. lib. 1. class. 1. c. 1. [n.] 35. Philippus Oenonius in disput. [P]olit. disp. 49. num. 3. *vbi sic ait.* Tunc Tyrannus

Tyrannus exercitio est, quando malitiosè, & hostiliter, & consultò data opera Rempublicam, & Ecclesiam vastat, cultum Dei abolet, vel prophanat, & quæ Dei sunt, affectans, sibi vendicat, & vsurpat. In summa quando totis viribus ad statum Reipublicæ, & leges Regni fundamentales mutandas, vel euertendas, quantum in ipso est, innititur. *Ita ille. Tyrannis* ex Lypsio lib. 6. Polit. c 7. Bodino de Republica lib. 2. cap. 4. *& aliis, est violentum vnius imperium præter mores, & leges, in quo vnus homo diuinis, ac naturæ legibus solutus rebus alienis, vt suis, & liberis hominibus, quasi mancipiis ad libidinem abutitur. In Tyranno itaque nihil est legitimum, ait Carpzouius vbi infra, nihil ordinatum à Deo, sed omnia à Deo auersa, ac Reipublicæ detrimentosa. Perpende modò, Amice lector, absque bile, si potes, an omnia superiùs dicta verificentur, & competant, aut à longè applica*

plicari possint Pientissimo, Religiosissimo, ac Iustissimo Hispaniarum Monarchæ? Et tamen ab aduersariis constituitur alter Pharao, Saul, Achab, Nero, Caligula, qui Tyranni exercitio extitêre. O frontem!

Vociferantur ipsi, & aliqua inconueniencia in Regno Portugalliæ tempore regiminis Augustissimi Philippi IV. *extitisse enumerant, sed dato hoc, & non concesso, videndum esset, an ex culpa Ministrorum, vel à voluntate Regis processerint; nã, vt Doctores citati asserũt, crimina Tyrãni debẽt esse nota, debent esse obfirmata, & vt loquitur* Carpzouius in legem Regiam Germanorũ c.14.sect.5.n.4. *incorrigibilia, & quibus nullum aliud remedium suppetat, nisi abdicatio Tyranni. Quis, quæso, nisi aduersarij, auderet dicere in regimine Regni Portugalliæ Philippum IV. in profundum tantorum malorum deuenisse, & Regem tam pium tot crimina incorrigibiliter admisisse, & ita in illis obfirmatum, vt aliud remediũ non suppeteret,*

peteret, nisi eius depositio à Regno? Sunt nugæ nugarum, ne dicam amplius. Exclamăt Regnum Portugalliæ fuisse oneratum maximis tributis. Respondeo, quòd præteritis angustiis, quæ adhuc durant, Catholica Domus Austriaca, ex Hæreticorum, & inimicorum iniustis bellis, vbique locorum ita agitata remansit, vt Monarchia Hispana exhausto ærario publico in extremam necessitatem deuenit. Vnde Rex noster coactus fuit, ad se, & sua Regna tuenda, vetera tributa augere, & noua constituere. Verùm scias, quòd in his imponendis tributis hæc praxis obseruatur. Rex, seu Prorex, vel Comitia Regnorum conuocant plures Theologos ex diuersis Religionibus, qui inter se iustitiam tributi, quoad omnia maturè examinant; & si illud approbant, postea imponitur. Igitur in imponendis tributis semper vota Theologorum, ac etiam Iurisconsultorum præcedunt, & ex eorum votis subscriptis, vel oretenus datis postea vectigalia

ralia imponuntur. Est-ne hoc imponere tributa tyrannice? Et quidem communis sententia fert, vt testatur doctus, & amicissimus P. Franciscus Lugo de Principiis moralibus part. 1. cap 3. q. 11. num. 72. *quòd Rex in imponendis tributis potest sequi opinionem probabilem. Et ita etiam docet* Suarez de legib. lib. 5. cap. 18. numer. 2. Vasquez opusc. de restit. cap. 6. §. 3. dub. 5. Ioannes Sanchez disp. 33. num. 35. Layman. lib. 3. tract. 3. p. 1. cap. 3. *Quia Rex non debet esse peioris conditionis, quàm reliqui, qui possunt iuxta probabilem opinionem operari. His tamen non obstantibus, & diligentiis, vt suprà, adhibitis, Rex noster sæpiùs solet emittere epistolas circulares ad Proreges, & Ministros Regnorum, conscientias eorum onerando, vt diligenter scrutentur, si aliqua tributa nimis onerosa in suis Regnis forsitan irrepserint, & extent, vt illa possit amouere, vel minuere: & Ego si-*

peteret, nisi eius depositio à Regno? Sunt nugæ nugarum, ne dicam amplius. Exclamãt Regnum Portugalliæ fuisse oneratum maximis tributis. Respondeo, quòd præteritis angustiis, quæ adhuc durant, Catholica Domus Austriaca, ex Hæreticorum, & inimicorum iniustis bellis, vbique locorum ita agitata remansit, vt Monarchia Hispana exhausto ærario publico in extremam necessitatem deuenit. Vnde Rex noster coactus fuit, ad se, & sua Regna tuenda, vetera tributa augere, & noua constituere. Verùm scias, quòd in his imponendis tributis hæc praxis obseruatur. Rex, seu Prorex, vel Comitia Regnorum conuocant plures Theologos ex diuersis Religionibus, qui inter se iustitiam tributi, quoad omnia maturè examinant; & si illud approbant, postea imponitur. Igitur in imponendis tributis semper vota Theologorum, ac etiam Iurisconsultorum præcedunt, & ex eorum votis subscriptis, vel oretenus datis postea vectigalia

galia imponuntur. Est-ne hoc imponere tributa tyrannice? Et quidem communis sententia fert, vt testatur doctus, & amicissimus P. Franciscus Lugo de Principiis moralibus part. 1. cap 3. q. 11. num. 72. *quòd Rex in imponendis tributis potest sequi opinionem probabilem. Et ita etiam docet* Suarez de legib. lib. 5. cap. 18. numer. 2. Vasquez opusc. de restit. cap. 6. §. 3. dub. 5. Ioannes Sanchez disp. 33. num. 35. Layman. lib. 3. tract. 3. p. 1. cap. 3. *Quia Rex non debet esse peioris conditionis, quàm reliqui, qui possunt iuxta probabilem opinionem operari. His tamen non obstantibus, & diligentiis, vt suprà, adhibitis, Rex noster sæpiùs solet emittere epistolas circulares ad Proreges, & Ministros Regnorum, conscientias eorum onerando, vt diligenter scrutentur, si aliqua tributa nimis onerosa in suis Regnis forsitan irrepserint, & extent, vt illa possit amouere, vel minuere: & Ego si-*

milem epistolam Panormi perlegi, & aliam hic Romæ paucis diebus quam moreretur, legendam mihi præbuit Eminentiss. Cardinalis Albornoz. Vide quæso ex his, Amice Lector, si Rex Hispanus possit quoad tributa imponenda, & exigenda, vocari titulo Tyrannus? Alias notas suæ Tyrannidis aduersarij adducunt: Sed quia breuitati studeo, plures tanquam falsas, & plures quia ex ipsismet ruunt, ex industria relinquo. Claudam tamen ad eorum erubescentiam hanc resolutionem cum verbis non exteri scriptoris, sed Lusitani, videlicèt Seraphini Freytas, *qui* in lib. de Imperio Asiatico Augustiss. Regi nostro Philippo IV. dicato, cap. 13 numer. 5. *Sic asserit,* Regimen Hispaniarum Principis magis paternum, quam Dominicũ est, propt exteris etiam notum est, vt veriùs de eo dici possit, quod de Alexandro

dro dixerat Plutarchus, fœliciores esse qui sub illius Imperio, quàm qui illud effugerunt. *Hæc Freytas.*

Et tandem pro coronide huius tractatus, vnum tantum hic addam, quòd ego Reges, & Principes Europæos, in pietate, religione, iustitia, aliisque necessariis virtutibus ad rectam gubernationem exercendam, similes esse Regi meo libenter fateor, meliores tamē, bona eorum venia, & ea, qua decet reuerentia, minimè existimo. Videant modò ipsi, ac prudentissimi eorum Consiliarÿ, si doctrinam aduersariorum tam falsò applicatam Augustissimo Hispaniarum Regi, impune grassari, & permittere debeant: nam ex illa sequitur necessario, Reges, & Principes moderantes eorum Regna eo modo, quo ipsa sua moderatus est Augustissimus Philippus IV. tanquam Tyrannos exercitio,

posse à Populis, & Proceribus exauthorari. Quis, nisi bardus, non videt quàm perniciosa, & exitialis sit Regibus opinio horum Doctorum, cùm sit fax ad iniustas seditiones, & rebelliones; & quantum aduersus illam deberent Principes exardescere?

ANTI-DIANA,

SIVE

ADMONITIO APOLOGETICA Ad R. P. Antoninum Dianam, circa suum Tractatum, de potestate exauthorandi Reges;

Decimæ parti suarum Resolutionum nuper additum.

1\. QVIS te (R.P.) adeò fascinauit, vt post tot emensos labores, tot vigilias, tot studia, tot annos in ipsis consumptos, totque partus ex iisdem in lucem editos, quando vt optimus, ac veteranus miles confectis stipendiis arma deponere, ad propriaque rura iamiam emeritus redire deberes, vt & tu

 exer

exercitæ vitæ laboribus requiẽ obtineres; & alios tuo exemplo ad futuræ quietis spem subeundis operibus redderes promptiores, non obedires summæ Veritati per Apostolum asserenti. [a] *Si adhuc hominibus placerem, seruus Christi non essem.* Et alibi [b] *Non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra, neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis?* Ignorabas-ne (non credo sanè) sententiam illam Diuini Spiritus; [c] *Qui dicunt impio: iustus es: maledicent eis populi, & detestabuntur eos Tribus?*

a 1. Galat. v. 10.
b. 1. Thessal. 2. v 4. & 5.
c. Prou. 24. v. 24

2. Cur ergo (dicas ingenuè) huic decimæ tuarum resolutionum parti, quæ, sub auspiciis tui Catholici Regis, nouissimè hoc anno in lucem prodiit, duos particulares tractatus addidisti; vnum scilicèt *historico-iuridico-Theologicũ de potestate exanthorandi Reges*; alterum: *de Principum Christianorum fœderibus cum Turcis, vel Hæreticis?* Minimè certè veritatem fateberis; eam igitur inuestigare, & aliunde deducere, vt appareat te non Deo, sed hominibus placere studuisse, opus omnino erit. Et quidem, quoad primùm (de quo in ista mea admonitione solummodò agere intendo) desiderata veritas ex ipsius decima Resolutione,

utione, qua illũ absoluisti; cuius titulus est: *Breuis digressio occasione eorum quæ superiùs firmata sunt.* propalam conuincitur. Cum enim dictam decimam partem tuo Regi consecrauisses, vt ipsi tantummodò placeres, eius, ac prædecessorum suorum tyrannidem, iustitiam, & maximam extitisse probare eniteris. Vndè sanè falsus omnino est præfatus dictæ Resolutionis titulus: quippe quòd principale tuum intentum ista breui digressione continetur, & cæteræ qua præmisisti, Resolutiones, ad hunc solum finem, diriguntur.

3. Confirmari quidem potest ex litterarum transumptis in principio dictæ decimæ partis excussis, ex quibus de publicatione illius non parum solicitos Castellanos esse constat, te iuris Catholici Regis acerrimum defensorem expectantes: fefellit tamen illos antiqua illa opinio, quam de tua scientia, ac doctrina inaniter conceperant; Nam cum à te, tanquam in sacro Palladio Lyceo emerito Palæstrita aliquid noui in prȩfati Regis fauorem audiendum auidè anhelarent: nihil nouum, nihil certum, imò nec sanum quidem sentire sunt compulsi. Vndè ipsorum quidam (mihi

credas, non parum doctus) postquam summa animi attentione totum hunc tuum per legit, quin & relegit tractatum, non sine stomacho in illud Horatianũ prorupit.[d]

[d] in epist.

——Ne si repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat Cornicula risum
Furtiuis nudata coloribus.

Quod ego, & mecum quamplures docti, non tantùm de isto tractatu, sed de tuis omnibus verissimum putamus. Sed ne videar verbis tantummodò te commonefacere; Siste mecum parumper, vt tu lectorem in dicta decima Resolutione deprecaris, & licèt inuitus, vel tuam fateberis ignorantiam, vel si in tuo perstiteris errore, ipsa saltem vniuerso orbi patefiet.

4. Verbo ad verbum, eádemmet serie, qua tu tui Regis iura defendere, seu potiùs stabilire conaris, ea in firmabo, omnibusq; hâc meam admonitionem lustrantibus dictorum iurium falsitatem clarissimè ostendam. Primum igitur, aut veriùs Vnicum, tuum argumentum ita se habet. *Tyrannus titulo est ille, qui nulla iura successionis habet, sed iniusto bello in Regno se intrudit: Sed Augustissimus Philippus II. Hispaniarum Rex habuit iura successionis in Regnum Portugalliæ*

*æ luce meridiana clariora: ergo impiè dicitur
iisse tyrannus titulo illius Regni. Missò quòd
Maior huius argumenti aliquantulum est
iminuta: non enim ille solus tyrannus ti-
ulo dicetur, qui bello tantùm, sed etiam,
qui fraude, dolo, metu, aut vi aliqua, absque
ure, vel contra alterius ius Regnum oc-
cupauerit, aut huiuscemodi occupatum
sub sua retinuerit potestate. Minorem, in
qua totius difficultatis vertitur cardo, ex
eo tantum probas, patentem, euidentém-
que pronuncias, quòd Salmanticensis, Cō-
plutensísque Academiæ pluries vota sua
dicto Philippo dederint, statuentes ius cer-
tum in præfatum Lusitaniæ Regnum suc-
cedendi habuisse.

5. O mactè scientia virum! Ita te docuit Aristoteles fundamentales syllogismorum comprobare propositiones? Quæ pendent ex iure (R.P.) ipso iure, ac ex eodem desumptis rationibus, non verò Theologorum, seu Iuristarum dictis tantummodò firmari, ac stabiliri debent: multóque minùs, tui eruditissimi Besoldi ex Lutheranismo (vt asseris) nuper conuersi; Hieronymíque Conestagij Chronologi Genuensis, à quo ipse Besoldus omnia à te relata desumpsit: vnde

vnde per te in dicti Coneſtagij authoritate tota tuæ minoris propoſitionis certitudo fundamentaliter innititur. Aſt vt videas nec te, nec tuum Beſoldum à Coneſtagio narrata intellexiſſe, vel vt conſtat, malitiosè ac mendosè illa in latinum tranſtuliſſe, & tamen non omnia, ſed ea tantummodò, quæ ad ſuam deprauatam conducebāt intentionem; attende, quæſo, ad ipſiuſmet verba ſubtiliter, ac prudenter à Ioanne Baptiſta Morello ponderata, ac perdoctè diſcuſſa. e.

e. in ſuo Diſcurſ. moral. Polit. 1. p. à n. 47. cum ſeq.

6. In primis dicto libro tertio à te citato ita aſſerit. *Tunc Rex Catholicus de actione, quam ad illud Regnum habebat, pleniùs ac formaliùs certificatus, & ſi à principio de ſuo iure ſecurus à ſuis Doctoribus redderetur; voluit tamen id ipſum ab aliarum Prouinciarum Peritis, maxime Portugalliæ maiori ſcire fundamento. Qui quidem omnes, conſideratis, ac diſputatis rationibus, contrarietatibus, ac terminis ſingulorum prætendentium, ipſum Philippum illius Regni indubitatum reſoluerunt ſucceſſorem.* Hæc ille, & nil amplius de hac materia in dicto libro tertio.

7. In quarto deinde, poſtquam refert Henrici obitum ante ſucceſſoris declarationem,

onem, ita subiungit. *Informatus Rex à suis agentibus de praua Lusitanorum inclinatione versus ipsum, ac de efficaci Antonij prætensione, cæterorumque prætendentium, maximè sibi displicuit rerum status, videbat enim suæ iustitiæ finem armis omnino esse consequendum, nec sine ipsis possessionem consequi posse: volens igitur circa modum illa exercendi conscientiæ consulere, cum primùm Fratris Didaci de Chiaues sui Confessoris, & aliorum principalium Theologorum Dominicani Ordinis consilium, seu sententiam pro se haberet, non tamen illorum tantùm opinione satisfacta conscientia, aliorum Ordinum Theologos consulere voluit: & ideo ad præcipuos Hispaniæ super præfata causa informandos, minorem quendam Religiosum legauit, vt illorum sensa particulariter perquireret. Qui quidem omnes vnanimi consensu absolutè senserunt, quòd supposito certo, ac indubitato ipsius iure, ad nihil aliud tenebatur nisi ad repræsentandum ipsi Henrico, si adhuc viueret, vel post illius obitum ipsi Regno, ius, quod ad successionem habebat, cui si acquiescere nollent, posset tuta conscientia possessionem armis sibi vendicare: cum enim ab omni iudicio coërcitiuo, propter suam supremam authoritatem, omnino liber esset, tantummodo*

modò tenebatur coram Deo ius suum iustificare, ac Regi, vel Regno proponere.

8. Tandem libro quinto, cum Rex Philippus iam peruenisset ad Pacem Iuliam (vulgò *Badajos*) & exercitus tribus tantùm milliaribus ab illa distaret, classísque naualis in Portu S. Mariæ ad nauigandum omnino disposita, atque parata, tunc subdit: *Rex Catholicus diligentiis, & consultationibus à Theologis petitis, vt suprà dictum est, non adhuc satisfactus, Academiam Complutensem, in qua Theologica facultas maximè floret, circa suum cum armis in Lusitaniam ingressum, ac super ab eius Oratoribus propositis, voluit denuò consulere. Congregatis igitur omnibus Theologiæ Doctoribus (erāt autem plures quam triginta) precibus ad Deum fusis, sacrisque factis, de quæstione proposita (quam singuli priuatim diligentissime excusserant) tribus sessionibus disputatum est: quamuis enim non esset forsan multum difficilis* (hic addit Besoldus, & intricata) *erat tamen grauissima, atque noua* (hanc secundam clausulam omisit idem) *Omnes verò in eandem sententiam concurrerunt cum illis, quos Rex à principio consuluerat; cum tamen de illorum rationibus sibi non constitisset: De-*

cretumque

cretumque in forma authentica exaratum ipsi Regi remiserunt.

9. En vides iam (R.P.) quòd tuus eruditissimus Besoldus totam suam eruditionem, quæ tibi tantoperè placuit à Conestagio emendicauit: nihil enim aliud in sua dissertatione proposuit, quàm quod ab ipse transumpsit,& ideò forsan eius eruditio à te exaltatur,quia tuæ satis similis perhibetur,est enim similitudo causa amoris. At ille,vt verisimiliter colligitur,voluit ista sua assentatione aliquid à tuo Rege obtinere, sicut & tu hoc tuo tractatu; solent enim in Hispanica Curia (sicut in cæteris, proh dolor!)magni pendi assentatores.Sed hoc misso veniam ad alia, quæ tu, & tuus Besoldus, aut noluistis legere in dicto Conestagio, aut si legistis, quod verius credo, omnino subticuistis, tanquam inutilia, quinimo contraria tuæ minori propositioni.

10 Sic enim immediatè prosequitur.*Tres dictis Complutensibus articuli propositi fuerunt. Primus scilicet,quod Rex Catholicus se per Henrici obitum in ipsius Regno omni iure ac ratione verè successisse certò sciens, an in conscientia alicui Tribunali iuridico, vel arbitrario se subiicere*

iicere teneretur ad hoc, vt ipſum ſibi adiudicaſſet, in poſſeßionemque miſiſſet? Secundus: *quod nolente, ſeu repugnante Regno ipſum pro ſuo vero, ac legitimo principe recognoſcere, & admittere, quin prius cum aliis prætendentibus iudicio ſtaret contentioſo, an poſſet ſua propria authoritate, illatis in eos armis, qui ſibi reſiſtere tentaſſent, Regnum ipſum occupare, præſupponendo nullum dubium, nec aliquem conſcientiæ ſcrupulum in ſuo iure eſſe?* Tertius denique: *Dicentibus Gubernatoribus ſe ipſos, & totum Regnum iuraſſe, non recognituros pro ſuo Rege aliquem ex prætendentibus, niſi illum, qui iudicialiter pro tali fuiſſet declaratus, ac proinde non poſſe aliter ipſum Philippum recognoſcere, maximè in aliorum prætendentium præiudicium, qui omnes præfato contradictorio iudicio ſe ſe ſtare offerebant; an dicti Gubernatores, & Regnum prædicti iuramenti prætextu, ipſum ad poſſeßionem nõ admittere legitimè poſſent?* Ita Coneſtagius, & nihil aliud ſuper hoc puncto in tota ſua Hiſtoria decem libellis contenta.

11. Vt ea quæ ſuper præfatis ſunt diſcutienda, meliùs, & clariùs legentibus pateſiant, ac tu (R.P.) aduertas quàm inepta, ac futilia ſint, quæ in Minoris tui argumenti proba

probationem adduxiſti, aliqua ſunt priùs ponderanda. Primum ſcilicet, quęnã fides Coneſtagij Hiſtoriæ ſit adhibenda? Omniũ ferè aliarum Nationum (Caſtellana excepta) communi iudicio, nulla: & meritò quia etſi ipſius nomine pręfata Hiſtoria ſit excuſſa, à ſupremo quodã altioris ordinis Caſtellano exaratam fuiſſe quamplurimis probatur: & non defuerunt, qui ipſummet Philippum II. illius authorem exiſtitimaſſent. Attamen, quidquid de hoc ſit, certum quidem eſt, dictum Coneſtagium (ſi author eius eſt) ad præfati Philippi inſtantiam, & requiſitionem, aut ſaltem alicuius ipſius intimi, ac familiariſſimi ſubditi, vt Regi obſequium, & ſeruitutem præſtaret, eam ſcripſiſſe. Vnde non mirandum, ſi in facti narratione, & in rationibus pro Philippi iure ſtábiliendo proponendis, & adducendis, dicto iuri obſequiosè, ne dicam pertinaciter adhæreat. Quod euidenter probatur: nam tametſi ipſe præfatæ Hiſtoriæ veritatem ex duobus principiis deducere intendat: ſcilicèt ex ſua præſentia, & aſſiſtentia tunc temporis in dicto Luſitaniæ Regno: ac ex eo quòd nec Nationalis illorum Regnorum (Luſitaniæ nimirum, & Caſtellæ) nec vaſ-
C ſallus

ſallus illorum Regum extitiſſet, ex eiſdem euidenter colligitur, non eſſe poſſibile multa ſcire, quæ velut indubitata refert: exempli gratia, illa omnia, quæ priuatim ab vtroque Rege, ab ipſorum Miniſtris, aliiſque particularibus perſonis agebantur: ac multò minùs notitiam habere ſpecificam omnium litterarum, quas Philippus diuerſis ciuitatibus, & perſonis, ipſiſque Gubernatoribus, imo & ipſi Henrico, priuatè, & ſecretè ſcripſit: at quid dicam de iis, quæ extra Regnum facta, reſoluta, ac determinata fuere? quomodo alienigena Genuenſis poterat hæc omnia veraciter ſcire? Vnde eadem euidentia infertur, illorum omnium notitiam, ſeu relationem, (vt ipſe ait) fidelem quibus non interfuit, à nullo alio habere potuiſſe, niſi ab illo, ſeu ab illis, in quorum fauorem, & obſequium ſuam compoſuit Hiſtoriam: quod quidem idem omnino videtur, ac ſi ab aliquo obſtinato Caſtellano fuiſſet conſcripta, proindéque ſuſpecta penitus, ac nullius digna fidei iudicatur.

12. Cùm tamen ſecundum iuris regulas, ab vna parte litigante contra alteram allata, poſſunt à contraria pro veris admitti, etſi

si vel omnino falsa, vel saltem dubiæ sint veritatis, quæ dictus Conestagius super hoc puncto tanquam verissima refert, vt talia volo admittere, non tamen absolutè, sed rectè examinata & discussa.

13. Vndè secundò ponderanda, ac examinanda sunt verba illa dicti tertij libri, quibus ostendere nititur Catholicum Regem non à suis Doctoribus tantùm, sed etiam ab alienigenis, & maximè Lusitanis certificatũ fuisse, illius Regni indubitatum esse successorem. Quod sanè falsum omnino esse manifestè conuincitur: & probatur etiam à sufficienti partium enumeratione, siue potiùs exclusione: quia ex Italia principaliores Academiæ, vt Bononiensis, Paduana, ac Perusina, nõ Philippo, sed Rainutio sua vota dederunt, vt fatetur Aguirre, f qui pro Philippo Apologiam scripsit: vltra Parmenses, quibus respondet, seu potiùs respõdere nititur Caramuel. g Ex Gallia certũ est omnes in fauorẽ suę Reginæ scripsisse: & ipse Caramuel aliqua Doctorũ chirographica legisse testatur, vltra libellũ à quodã Pellitiero cõpositũ: itẽque aliũ Authoris anonymi de præfatæ Reginæ iure ad successionẽ Portugalliæ. Mitto illos, qui pro Antonio scripsêre,

f. *Apolog. de succeßione Regni Portugalia p. 3.*

g. *in Philip. demonstrato. lib. 5. disp. 6. Theorem. 7.*

re,quos apud citatum Caramuelem videre poteris. Ex Lusitania omnes Conimbricenses tam Cæsarij, quàm Pontificij iuris Professores, preter eos, qui cathedrarum moderatores non extiterãt, pro Domina Catharina, vt idẽ Caramuel fatetur. Et insignis ille Petrus Barbosa, vtriusque iuris tunc tẽporis Oraculum à Philippo instãter rogatus, vt in suæ causæ fauorem aliquid vellet scribere, contra clarissimum Catharinæ ius minimè aliquid dicere posse constanter respõdit. Ex Anglia, Flandria, ac Germania non solũ illo tempore, sed etiam vsque modò nihil nec pro, nec contra Regẽ Catholicum scriptum vidimus, nisi nouissimè anno scilicèt 1639. Philippum demonstratum à Ioanne Caramuele abbate Dunensi. Quænam ergo sunt istæ Prouinciæ, & maxime Lusitania, quarum Peritos consuluerit Philippus, vt, quã haberet ad illud Regnũ actionẽ, maiori sciret fundamento: qui quidẽ cõsideratis &c. illũ indubitatũ successorẽ resoluerint?

13. Audiamus ipsum Caramuelem, cum enim hic duos tantùm inuenerit, credendum sine dubio est alios non fuisse. Ex his vnus est quidam Aduocatus Vlixbonensis, nomine Alphonsus de Albuquerque: alter

ter dictus Conestagius historicus; nam Nicolaus Vernulæus Rhetor nuper scripsit, & conclusiones recenset, non verò probat. Augustus Thuanus etiam historicè scripsit, & licèt Philippi partes agere videatur, adeò tamen confusè, & indistinctè (inquit Caramuel) vt vix de Chronologi mente iudicare sufficiat lector. Pater Vasconcellius ex Societate IESV, licèt de expeditione à Philippo facta nonnulla enarret, non tamen exponit (verba sunt eiusdem Caramuelis) quo iure Lusitaniam inuaserit. Addit nihilominus idem Caramuel, quot quot Historiographi in Hispania, ac Regnis Catholico subiectis scripsêre, ipsius iuri in omnibus fauisse; Et hæc in summa est, illa Doctorum, ac Peritorum multitudo, qui à præfato Rege consulti, illi sua vota dederunt in illa prima consultatione, quod idem est atque nullus, siquidem Albuquerquius, Conestagius, ac cæteri Chronologi post occupationem Regni scripsêre: ergo non fuerunt de illis, quos Philippus consuluit.

14. Ponderandum est tertiò, qua fronte minorem tui argumenti ex eo tantùm probare intendis, quòd *vniuersus orbis scit*

Academias Salmanticensem, & Complutensem pluries sua vota tuo Regi dedisse; asserentes ipsum ius certum habuisse succedendi in Regnum Lusitaniæ : cùm nullus Historiographus verbum aliquod de Salmanticensi proferat: de Complutensi autem solum Conestagius, & semel, non pluries, vt tu mendosè, ne dicam mendaciter, asseueras : & non in tuo sensu, vt statim tibi ostendam. Vnde apertè conuincitur ex præfato Conestagio in dicto tertio libro, quem tu citas; & ex verbis tui Besoldi, quæ ex illo Latina lingua transcripsit, nihil probabilitatis tuæ minori propositioni, quantò magis patentem veritatem, vt tu asseris, resultare posse.

15. Venientes igitur ad id, quod Conestagius suo libro quarto narrauit; aduertendum est Fratrem Didacum de Chiaues, & alios Religiosos Dominicanos, ac etiam illos præcipuos Hispaniæ Theologos, quos Philippus per Religiosum quendam consuluit, vt tu, & Conestagius asseueratis; super præfata successione nihil omnino resoluisse, imò nec aliquo modo probasse, illum esse verum, ac indubitatum Henrici successorem, sed solùm supposuisse talem esse.

Quo

uó quidem ſuppoſito, non improbabili-
r reſponderunt, non teneri niſi ad repræ-
ntandum ipſi Henrico, dum viueret, &
ſt eius obitum ipſi Regno ius ſuum, ſi ta-
en acquieſcere noluiſſent, poſſeſſionem
is armis ſibi vendicare poſſe. Vnde cum
terrogatio, & reſponſio ſibi conſentiant;
ertè euincitur, Philippum Præfatos Theo-
gos non interrogaſſe, ſeu conſuluiſſe, vt
iure ſucceſſionis certificaretur, ſed tan-
m ipſo, tanquam indubitato, ſuppoſito,
greſſum ſuum in Regnum cum armis iu-
ficaret; alioquin ad quæſtionem de in-
eſſu non reſpondiſſent, miſſa illa de ſuc-
ſſionis iure, quæ omnino præcedere de-
bat, quod euidentiùs patebit, conſultatio-
m, & reſponſionem Complutenſium
aminando.

6. Ad quod quidem examẽ iam accedẽ-
s, quãuis tibi, & Lectoribus faſtidio ſimus,
gulas præfatæ Coneſtagij Hiſtoriæ clau-
las enucleatiùs ponderare debemus. Et
primis quòd tunc temporis iam Philip-
s erat in Pace Iulia, ſeu *Badajos*: exercitus
Cantillana, paucis milliaribus à præfata
rbe diſtante: claſſis naualis in Portu ſanctæ
ariæ, omnibus neceſſariis prouiſa, & præ-

 parata,

parata, vt ad Regis nutum in Olyſſiponem vela daret. Regnum ipſum Luſitanum armis Caſtellanis vndequaque circumdatum à confinibus Galletiæ per Comites de Lemos, & de Monteregio: per Prouinciam vltramontanam à Comitibus de Beneuento, & de Alba: per Eſtremaduram à Duce Albuquerquenſi, & Marchione de Villanoua: à Vera Placentina per Marchionem de Serraluo: in Regno Algarbiorum à Ducibus de Bejar, & de Medina Sidonia [h]. His itaque poſitis, dicas mihi quæſo (R. P.) ad quem finem dirigebatur iſta Complutenſium conſultatio? Reſpondebis (non dubito) ad maiorem Regiæ conſcientiæ ſecuritatem. Sit. Sed inſurgo argumento, ſiue interrogatione Morelli [i]. Dato, & non conceſſo, quia moraliter impoſſibili, quòd Theologi Complutenſes in eam deueniſſent ſententiam, vt non poſſet Philippus armis ſuis Regnum occupare, an in eo euentu, dimiſſo exercitu, & claſſi, deperditíſque omnibus expenſis, pacificè in ſuam Regiam Curiam rediret? Qui ergo Doctores non ſolùm Complutenſes, ſed cuiuſlibet alterius Prouinciæ ſibi ſubiectæ, videntes ſuum Regem adeò deliberatum, imò & reſolutum

h Conestag. lib 4.

i p. 1. n. 47.

n (ne dicam obſtinatum) in illo Regno
: Monarchiæ ſubiungendo, non obſe-
osè illi ſatisfacere auderent, maximè in
gotio, quod ad fidem non attinebat? Vn-
tardè,& malè ſimile conſilium petiit, vt
m conſcientiam ſecuram redderet.

Ponderanda eſt ſecundò clauſula illa.
upra dictum eſt.& alia etiam:*Voluit denuò*
a ſuum cum armis in Luſitaniam introitum
. Ex quibus euidenter apparet,nec in illa
:ra conſultatione verificari Philippum
iure ſucceſſionis,ſed apparenter tantùm
;reſſum ſuum cum armis in dictum Reg-
m iuſtificare: nam cum hanc conſulta-
nem clarè, & diſtinctè circa dictum in-
:ſſum,non verò circa ius ſucceſſionis fa-
m dicat, imò iſtud indubitatum ſuppo-
:, præmittátque alias circa idem fuiſſe
tas, quibus non eſſet omninò ſatisfactus:
denter conuincitur omnes circa introi-
n cum armis, non autem circa ius ſucce-
ıdi peractas eſſe. Quod ex ipſis tribus
iculis, qui Complutenſibus fuerunt pro-
ſiti, dilucidiùs patebit.

Expreſſiſſimè namque conſtat ex pri-
),Catholicum Regem Complutenſes ſu-
r ſucceſſionis iure nō conſuluiſſe,imò aſ-

parata, vt ad Regis nutum in Olyssiponem vela daret. Regnum ipsum Lusitanum armis Castellanis vndequaque circumdatum à confinibus Galletiæ per Comites de Lemos, & de Monteregio: per Prouinciam vltramontanam à Comitibus de Beneuento, & de Alba: per Estremaduram à Duce Albuquerquensi, & Marchione de Villanoua: à Vera Placentina per Marchionem de Serraluo: in Regno Algarbiorum à Ducibus de Bejar, & de Medina Sidonia [h]. His itaque positis, dicas mihi quæso (R. P.) ad quem finem dirigebatur ista Complutensium consultatio? Respondebis (non dubito) ad maiorem Regiæ conscientiæ securitatem. Sit. Sed insurgo argumento, siue interrogatione Morelli [i]: Dato, & non concesso, quia moraliter impossibili, quòd Theologi Complutenses in eam deuenissent sententiam, vt non posset Philippus armis suis Regnum occupare, an in eo euentu, dimisso exercitu, & classi, deperditísque omnibus expensis, pacificè in suam Regiam Curiam rediret? Qui ergo Doctores non solùm Complutenses, sed cuiuslibet alterius Prouinciæ sibi subiectæ, videntes suum Regem adeò deliberatum, imò & resolutum

h Conestag. lib 4.

i p. 1. n. 47.

tum (ne dicam obstinatum) in illo Regno suæ Monarchiæ subiungendo, non obsequiosè illi satisfacere auderent, maximè in negotio, quod ad fidem non attinebat? Vnde tardè, & malè simile consilium petiit, vt suam conscientiam securam redderet.

17. Ponderanda est secundò clausula illa. *Vt supra dictum est.* & alia etiam: *Voluit denuò circa suum cum armis in Lusitaniam introitum &c.* Ex quibus euidenter apparet, nec in illa altera consultatione verificari Philippum de iure successionis, sed apparenter tantùm ingressum suum cum armis in dictum Regnum iustificare: nam cum hanc consultationem clarè, & distinctè circa dictum ingressum, non verò circa ius successionis factam dicat, imò istud indubitatum supponat, præmittátque alias circa idem fuisse factas, quibus non esset omninò satisfactus: euidenter conuincitur omnes circa introitum cum armis, non autem circa ius succedendi peractas esse. Quod ex ipsis tribus articulis, qui Complutensibus fuerunt propositi, dilucidiùs patebit.

18 Expressissimè namque constat ex primo, Catholicum Regem Complutenses super successionis iure nō consuluisse, imò as-

ſeueranter dixiſſe; *ſe certò ſcire omni iure, ac ratione in præfato Regno ſucceſſiſſe; quo ſuppoſito tantummodò ſcire voluiſſe, an alicui Tribunali iuridico, vel arbitrario ſe ſubmittere in conſcientia teneretur, vt dictum Regnum ſibi adiudicaſſet, in poſſeſſionemque miſiſſet?* Quod apertiſſimè refert, quem pro te citas, Beſoldus, ibi: *Voluit denuò in Vniuerſitate Alcalana quæſtionem de exercitu in Luſitaniam ducendo, déque poſtulationibus Oratorum Luſitaniæ, examinandam proponere.* ergo benè euincitur propoſitam quæſtionem de iure ſucceſſionis non fuiſſe, vt tu (R.P.) ignoranter, ſeu potiùs malitiosè ſupponis: nec præfatam Complutenſem Academiam vota ſua Philippo dediſſe, ipſum ius certum habuiſſe in Regnum illud ſuccedendi aſſeuerantem, vt tu ſimiliter mendaciter affirmas, vt iam ſuprà diximus.

19. Vnde ad iſtius primi articuli reſponſionem, ſeu examen illius deueniens, quid dicam? Nil ſanè nouum, omnia enim, quæ primarij Iuriſperiti, ac Theologi dicere poterant, veraciter, ingeniosè, ſubtiliter, ac dilucidè iam primùm præponderauit, & rationibus, atque authoritate ſtabiliuit Ioannes Baptiſta Morellus in ſuo morali politi-

co

co Discursu à nobis supra citato;non igitur alienam gloriam vsurpare volentes,sententiam ipsius in Latinum conuersam fideliter referemus;nonnulla tamen ad maiorem illius illustrationem ex doctissimo illo Iurisconsulto,quem tu sub nomine Lusitani falli, immodestè (ne dicam ignoranter) asseueras. [k] Sed tu ipse falleris, non ille, vt euidenter ostendemus, quando de tua principali quæstione agemus, adiicientes.

[k] *Hoc eodem tract. resolut. 6.*

20. Priùs tamen est ipsa Complutensium responsio Conestagij verbis referenda. *Ad primum* (inquit) *responderunt non esse Regem obligatum alicui Tribunali iuridico, vel arbitrario se subiicere, cum à se ipso authoritatem propriam haberet præfatum Regnum sibi adiudicandi,possessionémque sumendi. Secundò excludebant omnes illos Principes,vel personas, quæ prætendere possent se Iudices in dicta causa esse: In primis Summum Pontificem, sedémque Apostolicã, quia causa erat mere temporalis,nec ratio occurrebat aliqua, ob quam Pontifex potestate illa indirecta, quam Doctores ipsi concedunt in ordine ad bonum spirituale, vti posset. Similiter Imperatorem, quia Rex Catholicus erat in suis Regnis omninò supremus,& absolutus, absque vlla Imperij subiectione, ac dependentia.*

dentia. Deinde Regnum ipsum Lusitanum, quia Respublica in electione sui primi Regis cum pacto illi, & successoribus obediendi, ita mansit subiecta illi, in quem suam transtulit potestatem, vt non remaneret sibi aliqua iuridica, qua ipsum Regem, aut aliquem eius verum successorem iudicare posset, siquidem in illa prima electione omnes veri successores remanserunt electi: vnde cum certum esset verum extare successorem; sequebatur, dictam Rempublicam nullam habuisse iurisdictionem ad illum iudicandum, qui verè successerat. Sicque cũ dictus *Rex certiò sciret quod esset verus successor, eadẽ sciebat certitudine non debere subiici illius Reipublicæ Tribunali. Excludebant etiam illas vndecim personas à Rege Henrico nominatas ex viginti quatuor à Republica electis; dicentes nõ potuisse Hẽricum iudicem illius esse, qui post vitam suam in Regno succedebat, cum per obitum ipsius, authoritas ministrandi iustitiam omninò expirasset, transissetque in suum legitimum successorem omnis iurisdictio, quam ipse, dum viueret, habebat. Vltimò excludebant quoscumque arbitros ex eo tantùm quia compromissum non habet locum quando iustitia non est dubia, vt supponebatur non esse illam.*

21 *Tertiò*

21 *Tertiò contra illos, qui dicerent Philippum non habuisse actionem in Regnum Lusitanum, tanquam Regem Castellæ, sed tanquam Henrici consanguineum, ac proinde non posse vti superioritate, quæ illi, vt Regi Castellæ conueniebat: istam separationem imaginariam fieri minimè posse resoluebant in persona Regis, quæ ipsi Regiæ dignitati adeò est coniuncta, vt non posset offendi persona, quin dignitas læderetur. Addebant etiam quòd, cum quilibet Princeps posset contra alium sua arma mouere, propter offensas fratribus, confæderetatis, & amicis illatas, maiori ratione, vt sibi vendicaret illud Regnum, quod ad se iustissimè pertinebat. Tandem contra eos, qui successionis iudicium fieri debere in Lusitania contendebant, quia secundum vtrumque ius res iudicari debet vbi est: dicebant illas iurium decisiones loqui tantummodò de personis particularibus, quæ habent iudices superiores, non verò de Potentatibus supremis, & independentibus, qui nullo superiori subsunt.*

22. Hæc tota responsio, & omnia in ea contenta funditus corruissent, ex eo tantùm, generaliter loquendo, quòd iuris certitudo in ea supponitur,

quam

quam Philippus nec habebat, nec habere poterat, vt euidenter ostendit citatus Morellus, sciebat enim singulos alios prætendentes, vnumquemque pro suo iure plures habuisse Iurisprudentes patronos, quod satis erat ad hoc, vt nec ipse, nec cæteri alij certitudinem habere possent, quando quippe de vna, ac eadem re diuersi diuersè sentiunt, non datur certitudo, sed opinio, quæ essentialiter includit formidinem partis oppositæ, quam omninò excludit certitudo. Nihilominus tamen ne rationum Complutensium vim effugere videamur, vnicuique singulariter respondebimus.

23. Ad primam igitur ex prænotatis supra patet responsio; nam ex eo præfati Doctores suum Regem ab obligatione subiiciendi se alicui Tribunali iuridico, vel arbitrario eximebant, quòd à se propriam haberet authoritatem Regnum sibi occupandi: quod tamen est falsum, vno solo casu excepto, videlicet si certitudinem de successione haberet, quam verè nec habebat, nec habere poterat: cùm enim plures essent prætendentes, & quilibet pro sue iure non paucos habuisset Doctores, vt suprà prænotauimus, imò aliqui integras Vniuersitates,

&

& omne ius, ad hoc, vt dici poſſit certum, debeat eſſe pro tali iudicatum per ſententiam latam à iudice competenti, aut ſaltem nullo interueniente dubio, vel controuerſia, vt conſtat ex iure Canonico; l apertè euincitur Philippum non habuiſſe authoritatem propriam occupandi dictum Regnum: ac per conſequens debere illi Tribunali ſe ſubiicere, ad quod iuris ſucceſſionis deciſio pertinebat, vt infra clariùs, & euidentiùs oſtendemus.

24. Circa perſonarum excluſionem, quæ poterant hanc ſucceſſionem iudicare, concedo libenter quod attinet ad Imperatorem. Sed quid dicendum de Summo Pontifice? Et tu (R.P.) quid dicis? Si Pontifex per te, & per me etiam, ac per omnes verè Catholicos, authoritate indirecta, ſi caſus emerſerit, poteſt Reges deponere, Regniſque priuare, quare in tempore illo, vt volebant Complutenſes, non poterat Gregorius XIII. prohibere Philippo, vt armis Luſitaniam occuparet, illumque compellere, vt iudicio competenti cum aliis prætendentibus ſtaret, vel ſaltem ſucceſſionis cauſam ſibi tanquam Arbitro aduocare? Quantò magis tunc temporis ad bonum ſpirituale

l Cap. veſtra, & cap. vlt. de cohabit. Cleric. Cap. ad noſtrã, de iureiuran. Cap. cum clim. de verb. ſignific. Anton. tract. de notorio. Maſcard. de prob. cõcl. 1105 à princip.

tuale illius Regni conducebat, Philippi armati introitum in ipſum impedire, quàm de excluſione ſui nepotis legitimè facta, vt à multis probatum eſt, & nos etiam quomodocumque poterimus fauente Deo probabimus, nunc iudicare? Quod tu non obſcurè Sanctiſſimo D. N. Innocentio in hoc tuo tractatu perſuadere prætendis.

25. Sed his omnibus miſſis, tranſeamus ad Reipublicæ Luſitanæ excluſionem, in qua tota controuerſiæ conſiſtit difficultas, ſi talis dicenda eſt, quæ, paucis exceptis, ab omnibus in fauorem noſtrum reſoluitur. Concedimus igitur Complutenſibus, modo infra explicando; quòd Reſpublicæ, quando primum eligunt Regem cum pacto illi, & legitimis ſucceſſoribus obediendi, ita ipſi, in quem ſuam transferunt poteſtatem, debeant eſſe ſubiecti, vt nec illum, nec ipſius verum ſucceſſorem valeāt deinceps iudicare. Negamus nihilominus tunc tēporis, etſi in rei veritate eſſet aliquis verus ſucceſſor, hoc eſt, aliquis, cui verè, & iuſtè, ſecundum leges municipales, & iura deberetur ſucceſſio, conſtare tamen liquidò, & ſine controuerſia de illo. Vnde quanquam Reſpublica Luſitana iuriſdictionem illum

iudicandi

iudicandi non haberet, qui verè ſucceſſit, quis poterat ipſi eam denegare, vt de pluribus, quorum quilibet ſe eſſe verum ſucceſſorem affirmaret, controuerſiam iuxta Regni iura dirimeret, pronuntians per ſententiam diffinitiuam quiſnam iſte eſſet? Hoc enim non erat iudicare perſonam ſucceſſoris, ſed cauſam ſucceſſionis, vt inferiùs ex Coninchio latiùs oſtendemus,

26. Ecce (R.P.) iam in arenario ſumus Lyceo: huc oportet non aures tantùm corporis, ſed etiam mentis arrigere: hic difficultatis ſcopus, ſi quam volunt fuiſſe in hac cauſa Authores Caſtellani. Non eſt hodie neceſſe ad euincendam Ioannis Quarti legitimam acclamationem, Philippíque Secundi, & Succeſſorum eius intruſionem, ſeu tyrannidem, recurrere ad repræſentationem, meliorem lineam, vocationem, agnationem, & alia huiuſmodi, quæ Luſitani in fauorem Duciſſæ Catharinæ doctè, fundamentalitérque probauêre: & Caſtellani in ſui Regis obſequium improbare contendunt, ſed minimè poſſunt. Conſtito namque cauſam ſucceſſionis inter diuerſos Principes eſſe controuerſam, vnuſquiſque enim pro ſe, & iure ſuo plures habebat Docto-

res, & fundamenta non pauca, vt ſupra monſtrauimus, & eſt in confeſſo apud eoſdemmet Caſtellanos, quis ſanus mente (nõ dico iam doctus) poterit negare aliquibus iuribus eſſe dirimendam, per aliquem, vel aliquos Iudices authoritatem habentes, non verò armis, vi, ac violentia? Vnde meo quidem iudicio, & (ni fallor) omnium illorum, qui animo ſedato, nullóque prauo affectu correpto ipſum attentè perlegerint, tuus doctus, & amiciſſimus (vt fateris [m]) Nicolaus Fernandes de Caſtro in illo ſuo indigno, infando, fœdiſſimóque volumine, quod inuerecundè, mendacitérque *Portugal conuencida*, intitulauit, in quo millia millium falſitatum, turpium, fœdorúmque verborum ſuperbè (ne dicam inſanè) congeſſit, nec vnum tantùm verbum de hac principali, & omnino neceſſaria quæſtione inſeruit. Cumque illam huius controuerſiæ fundamentalẽ eſſe non ignoraſſet, omnibúſque aliis rationibus à Doctore Velaſco propoſitis malè, ac ſuperbè reſpondiſſet; de hac perinde ac ſi non eſſet ab eodẽ diffusè agitata, nihil omninò in contrarium adduxit; vnde benè conuincitur, quid contra ipſius reſolutionem opponeret, non inueniſſe.

m *reſol. §. huius tract.*

27. Ita

27. Itaque antequam ad instantiam tui sapientissimi Arriaga, quem tu primus (vt iactaris) adduxisti, ac etiam tui doctissimi Hurtado de Mendoza, fundamenta, seu potiùs deliria, respondeamus; operæpretium duximus huius importantissimæ quæstionis veritatem, scilicet an Regnum Lusitanum præfatæ successionis controuersiæ ita priuatiuè tunc temporis esset Iudex, vt nullus alius esse posset, an non? stabilire, rationibusque, & authoritate firmare. Sed priùs duo sunt aduertenda, & tanquam verissima supponenda. Primum, dictam successionem non quomodolibet tantùm, sed valdè etiam controuersam, ac litigiosam esse, si non respectu omnium prætendentium, saltem aliquorum, vt suprà ostendimus, & ipse Conestagius, ac omnes etiam Castellani, licèt inuiti, fatentur. Secundum, Regnum, siue Rempublicam Lusitanam non prætendisse, ac si Corona illa tunc temporis deserta, ac deuoluta sine legitimo successore restasset, nouum creare Regem, sed solum inter plures, qui tunc aderant, quorum vnusquisque se legitimum, ac verum successorem asseuerabat, causam per finalem sententiam omnino dirimere, pronunciando

quisnam illorum secundum ipsius Regni leges talis esset.

28. Hanc iudicandi potestatem dicto Regno communiter negant Authores Castellani, & tu cum illis dicti tui Arriaga, & Hurtado de Mendoza authoritate innixus. Nihilominus tamen dictæ controuersiæ ipsum Regnum iudex tunc temporis erat, nec alius illam iudicare, diffinire, ac sententiare poterat. Quod vt euidenter ostendatur, licèt non semel ostendimus dictæ successionis causam inter plures prætendentes esse controuersam, iterum ratione P. Gabrielis Vasquez verè, imò, & verissimè doctissimi, eruditissimi, ac sapientissimi, cuius doctrinam Complutensis Academia communiter sequitur, idem euidenter probare opus est. Sic igitur argumentatur dictus P. *Tunc censendum est ius vnius Regis contra alium, litigiosum, & dignum esse, quod iudicio, & non armis dirimatur, quoties iudicio Iurisprudentum in iure ipso vtrinque sunt probabiles rationes, quæ si essent inter priuatos Principes, censeretur causa ita litigiosa, & difficilis, vt nullus litigatorum contra iustitiam manifestè litigare censeretur, si peteret contra alium id, de quo esset controuersia* [n]. Atqui (in nostro casu) omnes

n *in 1.2. disp. 64. c. 2.*

omnes illi prætendentes, aut ſaltem maior eorum pars, habebant pro ſuo iure plures Iuriſprudentes, imò aliqui integras Vniuerſitates, vt ſecundùm vos Philippus, ac per vos Raynutius, & Catharina: ergo cauſa erat omninò litigioſa, & digna quòd non armis, ſed iudicio dirimeretur.

29. Quo ſuppoſito quærendum eſt, quiſnam eſſet iudex ille, ad cuius tribunal dictæ controuerſiæ deciſio attineret? Vos cum Complutenſibus iuxta à veſtro Coneſtagio relata excluſiſtis, imò & negaſtis Summo Pontifici, ac ſanctæ Sedi Apoſtolicæ huiuſmodi authoritatem, ad quam modò recurritis, & appellatis, tanquam ſi Sanctiſs. D. N. Innocentius maiorem, & ampliorem haberet iuriſdictionem, quàm tunc temporis habebat Gregorius, cum tamen (ni fallor, & ſi fallor, me totum, & quid dixero, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ correctioni ſubmitto) maiorem, ſeu ampliorem iſte haberet, non ratione Pontificatus, ſed materiæ circa quam debebat illam exercere: quia tunc Luſitania ſub nullius erat poteſtate, à quo actualiter poſſideretur, nunc autem Rex Ioannes illam poſſidet, vnde caſus eſt omnino diſſimilis.

30. Deinde præfatam iudicandi authoritatem Imperatori, ac etiam iudicibus arbitris denegastis. Ergo his omnibus exclusis, solum restabat ipsum Regnum, seu Respublica Lusitana, cui talis authoritas competeret. Cumque omnis controuersia, quæ inter opiniones versatur, circa ius aliquod, non potentia, & armis, sed iudicio sit dirimenda, vt verè, & Christianè docet idem Vasquez (o); omniáque alia Tribunalia à vobis excludantur, concludenter euincitur ad ipsum Regnum præfatum iudicium pertinere. Et ratio euidentissima est; quia cum ius illud successionis, quod in controuersia erat positum, regula aliqua definiri deberet, non poterat alia inueniri, nisi leges ipsiusmet Regni, de quo erat controuersia; nemo autem prædictarum legum legitimus interpres esse poterat, nisi ipsum Regnum defuncto Rege: neque enim ad externos legitima interpretatio debebat pertinere: ergo omnes prætendentes iudicio ipsius Regni stare debebant. Quid autem Regni nomine intelligatur, idem Vasquez declarat eos esse, qui, mortuo Rege, ex electione Ciuitatum ius gubernandi habent. Vnde absolutè docet in tali casu omnes Principes alicuius Regni

(o) *vbi supra n. 13.*

gnii prætendentes, siue sint aliqui supremi, & aliqui non; debere stare iudicio talis Regni: quod confirmat exemplo Aragoniæ, vbi omnes prætendentes iudicio Regni stare sunt coacti, tempore S. Vincentij Ferrerij, qui vnus fuit ex iudicibus nominatis ab ipso Regno.

31. Et occasione huius exempli, non iam admoneo; sed deprecor te (R.P.) vt attentè perlegas fatale illud, ac execrabile, (ne dicam fœdum) tui amicissimi Nicolai Fernandez de Castro volumen; vbi præfatum adducit Aragoniæ exemplum ad excludendam repræsentationem, nec tamen illi respondet, (tanquam si non esset allatum à Doctore Lusitano) ad excludendam Regni authoritatem ad præfatam successionem iudicandam: vnde euidenter colligitur nihil contra illam in suis textibus inuenisse.

32. Ex dictis igitur patet, Philippum omninò cum aliis Principibus iudicio Regni stare debere, quia ad ipsum causam finaliter decidere per sententiam diffinitiuam priuatiuè pertinebat: quam Philippus noluit expectare, vt tenebatur; sed armis, vi, ac violentia, contra omnia iura,

possessionem præoccupauit. At dices: P. Vasquez vnus tantùm est Doctor; pro parte Philippi erant, & sunt plurimi, qui contrarium docent. Respondeo. Et si vnus, instar mihi est omnium, vt quidam dixit de Platone: Sed vt videas quòd falleris, adiunge Turrianum [p]. Valentiam [q]. Salas [r]. Castro Palao [s]. Thomam Sanchez [t]. Ioannem Sanchez [u]. Montesinos [x]. Villalobos [y]. Lorcam [z]. Antonium Perez [a]. Omnes istos Hispanos. Ex aliis Adamum [b]. Becanum [c]. Bonacinam [d]. & plures alios, quos infra citabimus: qui quidem vel totaliter, vel saltem in parte defendunt doctrinam Vasquez, affirmantes in causa dubia inter plures Principes nullum eorum posse totum, quod controuertitur, sibi armis occupare.

33. Non tamen putes (R.P.) me fundare, ac stabilire istam verissimam sententiam in authoritate dicti P. Vasquez, & aliorum Doctorum, quos citaui, quamuis tam nota, tamque æstimata, venerata, atque sequuta à Sapientioribus sit, sed principaliter in ratione, seu rationibus, quibus fulcitur. Nam,

tia

p in 2. 2. disp. 90. dub. 2 §. 2
q 2. 2. disp. 3. quæst. 16. de bello. puncto 2.
r tom. 1. in 1. 2. tract. 8. disp. vni. sect. 13. n. 128.
s oper. mor. p. 1. disp. 2. punct. 7. n. 7.
t tom. 1. de præcept. Decal. lib. 1. c. 9.
u in pract. dis. 44. n. 55.
x tom. 1. in 1. 2. disp. 19. q. 5. §. 6. n. 222. & seq.
y tom. 1. tract. 1. diffic. 17. n. 7.
z in 2. 2 sect. de char. disp. 53. a Laur. Salm. certum. 10. scholast. n. 104. b lib. 1. pyli. cap. 14. c tract. de char. c. 75. de bello q. 8. concl. 7. d to. 2. de restit. in part. disp. 2. q. vlt. sect. 1. punct. vlt. §. 2. n. 2.

vt optimè notauit idem Vazquez [e]. Sententia, seu opinio, quæ in authoritate fundatur, per extrinseca tantùm fundamenta dicitur probabilis : quæ autem ratione stabilitur, intrinsecè talis dicitur : Vnde non rectè dicetur probabilior, quæ pluribus probabitur Doctoribus, sed quæ efficaciori, ac magis concludenti fundatur ratione, vt tuus amicissimus Nicolaus Fernandez fatetur. [f] Cúmque nullus ex omnibus, qui in Philippi fauorem scripserunt tam olim, quàm nunc, aliam, seu alias adduxerint rationes, quibus hanc P. Vasquez euertissent, imò nec illi aliquo modo satisfecissent; omninò tenendum est, *quòd quando controuersia* (vt ipse ait) *sit de supremo aliquo Regno, de cuius successione agitur, omnes litigatores*, hoc est, prætendentes, *siue sint Principes supremi, siue alter sit supremus, & alter non supremus, debeant stare iudicio Regni* : nomine autem Regni, vt suprà diximus, illi intelliguntur, qui, mortuo Principe, ex electione ciuitatum habent ius gubernandi. Qui autem in nostro casu isti fuerint, inferiùs dicam, cùm illorum vndecim iudicum exclusioni à Complutensibus factæ directè respondeam. Sed interim confu-

[e] in 1. 2. disp. 62. c. 3. n. 10.

[f] in dedicatoria ad suum Regem.

tanda sunt priùs debilia fundamenta tui sapientissimi Arriaga, Hurtado de Mendoza, & aliorum antiquiorum, quos tu, & alij contra præfatam Vasquez verissimam sententiam, tanquam acerrimos adducitis patronos.

34. In primis igitur fatemur ex antiquioribus Molinam, quando morte Regis Princeps alterius Reipublicæ Regnū ad se pertinere contendat, tali Regno negasse posse similem controuersiam iudicare q. vbi in exemplum casum nostrum adducit; quando scilicet Philippus II. morte Henrici prætendebat suis Regnis Lusitanum vnire. Ratio fundamentalis, & vnica suæ opinionis est, quòd huiusmodi causa non esset Reipublicæ cum sua parte, hominéve sibi subdito, sed cum aliena Republica, Principéque alterius Reipublicæ. Cumque talis Princeps non esset subiectus illi Reipublicæ, ex hoc fundamento colligit, non teneri Philippum ea de re expectare Reipublicæ Lusitanæ sententiam, eique se subiicere ac parêre: mirarique se dicit multos contrarium asseruisse.

q *de iust. & iur. disp. 103. §. ducr-te tamē.*

35. Ego tamen magis miror ipsum tam futili, atque inefficaci ratione contra illos multos

multos suam fundasse sententiam;& multò magis, quia ibidem addit propter eandẽ rationem, *neque Rempublicam Lusitanam expectare debere Regis Philippi sententiam.* Vnde ego etiam addo,neque similiter eadem supposita ratione,& fundamento,alios prætendentes absolutos teneri tum Philippi, tum etiam Reipublicæ expectare sententiam:at è contrario non absolutos, quales in dicto casu erant Catharina, & Antonius, teneri illam omninò expectare,iuxta communem Doctorum resolutionem, & ipsiusmet, sic enim ait h. *Quando mortuo Reze varij subditi illius Reipublicæ contendunt Regnum ad se pertinere,sanè Respublica ipsa est, quæ tanquam in eo euentu suis omnibus partibus superior, iudicare debet,ad quem Regnum pertineat,illúdque illi tradere.*

h *vbi suprà.* §. *dixi suprà.*

36. Quo supposito,videatur iam confusio resultans ex præfata Molinæ doctrina; Antonius namque, & Catharina dicerent Rempublicam Lusitanam esse suum verũ, ac legitimum iudicem: Alii autem contendentes absoluti, Philippus scilicet, Sabaudiæ Dux, Princeps Parmensis, ac Regina Galliæ,omnes,& singuli vellent esse iudices in dicta causa, quia si Philippus non tene

tenebatur aſſentire iudicio Regni, eo quòd eſſet Princeps abſolutus, non ſubditus dictæ Reipublicæ, ſimiliter & alij, ac proinde nulla maior ratio pro illo erat, quàm pro aliis: ſicque nemo inueniretur, qui præfatæ cauſæ poſſet eſſe legitimus Iudex: quod meo quidem iudicio eſt abſurdiſſimum. Nec valebit dicere quòd in eo caſu ius eſſet in armis, ſuppoſito quòd opinionem probabilem pro ſuo iure haberet, qui arma mouiſſet, ſicut tuus Stephanus Spinola ignoranter firmauit, quem tu citas, & ego non vidi, quia illum non inueni, & ideò non poſſum eius fundamenta, ſeu vt puto, deliria examinare, tamen nullius momenti illa exiſtimo, vt infra monſtrabo.

37. Quod quidem inconueniens, ſeu potiùs abſurdum præuidens, aut conſiderans præfatus Doctor, ſtatim addidit, *cauſam inter Regem Hiſpaniæ, & Rempublicam Luſitanam eo modo eſſe tractandam, quo explicuerat tractari debere controuerſias, quæ inter diuerſos Principes, diuerſáſque Reſpublicas oriuntur.* Sed antequam videamus quid in hoc caſu ille dicat, volo tibi (R. P.) & lectori aduertere, ipſum in hac con-

trouer

trouersia proponenda,& tractanda,aut data opera,vt aliquo modo cohonestaret sui Regis intrusionem in Lusitanum Regnum (erat enim natione Castellanus) aut saltem inaduertenter penitus esse hallucinatum : quippè qui eam introduxit inter Philippum, & illam Rempublicam, cùm in rei veritate nulla inter eos esset, sed inter ipsum Philippum & alios Principes,nimirùm Sabaudiæ Ducem, Principem Parmensem, [illegible] cissam Catharinam, Antonium, & Gal[illegible]æ Reginam : Respublica verò inter hos omnes iudicem,non autem partem litigantem agere debebat:non enim,vt tui Castellani falsò asseuerarunt,nouum Regem creare volebat, perinde ac si Corona illa esset omninò deserta defectu hæredum, sed solùm inter ipsos prætendentes causam dirimere,ac sententiâ diffinire,ad quemnam illorum successio secundùm iura, ac leges Regni attineret. Quod euidentissimè patet, quia cum dicat causam inter Philippum, & Lusitanam Rempublicam eo modo tractari debere,quo tractantur causæ,seu controuersiæ inter diuersos Principes,diuersásque Respublicas, apertè supponit dictam causam non controuerti inter diuersos Prin-
cipes

pes, sed inter Philippum & Regnum Lusitanum; quod, vt patet, falsissimum est. Vnde mihi persuadeo, omnes illos Doctores, qui Principes supremos à iudicio coërcitiuo omninò eximunt, (non loquendo de Castellanis, maximè modernioribus) ea solùm ratione, quia supremi nullíque alij sint subiecti, loqui tantummodò de controuersia inter ipsos, & Rempublicam, quam sibi subiicere prætendunt, agitata, non verò quando agitetur inter diuersos Principes, aut supremos omnes, aut saltem non subditos alicuius litigantium, seu prætendentium, vt infrà extensiùs demonstrabimus.

38. Interim veniamus ad id, quod addit Molina, causam scilicet inter Philippum & Rempublicam Lusitanam eo modo esse tractandam, quo controuersiæ inter diuersos Principes tractari debent; quem quidem modum explicans, sic ait[i]. *Hoc pacto res est peragenda, antequam ad arma veniatur. Pacificè Princeps vnus proponere debet alteri rationes, ac ius totum, quod circa eam rem habet, vicissimque audire tenetur rationes, & ius totum alterius, sicque vltro, citróque datis rationibus, & responsionibus, res sine technis, fraudibus, ac subdolis dilationibus*

[i] *d. disp. 103. §. quando inter duas Respub.*

exa

examinari debet, quóvsque verisimile sit, nihil plus lucis ex eo examine, consiliísque peritorum ea de re posse haberi. Fieri autem id poterit, vel legationibus vtrinque missis, vel conuentu aliquo celebrato in confiniis Regnorum, missis vtrinque viris doctis, & peritis.

39. Dicas igitur mihi (R.P.) vel tui Besoldus, Arriaga, & Hurtado de Mendoza pro te: an tuus Rex hoc modo, ac forma à suo Doctore proposita dictam causam tractauerit? Legite perattentè, imò & relegite vestrum Conestagium, siue quoscumque alios vestros Historiographos, & in nullo inuenietis Philippum rationes suas, & ius totum, quod ad Lusitanum Regnum, secundùm suam æstimationem, ac suorum Theologorū habebat, aliis Principibus prætēdentibus proposuisse, nec etiam istos illi suum: similiter nec vltro, citróque datis rationibus, & responsionibus, causam sine technis, fraudibus, ac dilationibus fuisse examinatam, nec conuentum aliquem in Regni confiniis celebratum, nec legationes missas ad ipsos, vel ipsorum ad illum, vt docet Molina necessarium omnino esse. Imò illis omnibus spretis ipsi Regno,

Regno, & eius Oratoribus constanter, ac obstinatè intimauit se esse verum, atque indubitatum illius Coronæ successorem, ac proinde si vt talem nollent recipere, cum suo exercitu in Lusitaniam progressurus vt ipsam suis armis sibi occuparet: quæ omnia non rationem, & æquitatem demonstrabant, sed vim, ac violentiam minabantur.

40. Sed audiamus quid amplius suæ sententiæ adiiciat dictus Molina k. *Quòd* (inquit) *si partes iudicio discordent &c. tunc consilium esset optimum, vt litem transactione componerent, vel vt iudices eligerent arbitros, quorum iudicio starent.* Quod quidem consilium Philippus admittere noluit, cùm Gregorius XIII. & postea ipsius Legatus à latere Cardinalis Riarius in dicta causa se se offerrent arbitros esse, consentientibus omnibus aliis litigantibus, vt expressè fatetur vester Conestagius; qui quidem addit etiam non obstante, quòd sibi persuaderet, saltem dictum Cardinalem pro suo iure sententiam esse laturum. Ex dictis ergo euidenter colligitur, Molinam, etsi Philippum à iudicio Reipublicæ Lusitanæ eximeret, non tamen ab aliquo alio nempè à iudice, vel iudicibus arbitris;

k *vbi suprà.*

arbitris, cuius, vel quorum ſententiæ ſtare debuiſſet. Vnde iam tenemus ex Molinæ doctrina, Regem Philippum in illa controuerſia non eſſe omninò independentem, ac liberum ab aliquo iudicio, cuius ſententiam teneretur obſeruare, ſed ſolum à iudicio Regni Luſitani: ac proinde non eſſe verum ſecundùm ipſius doctrinam Reges, ac Principes ſupremos, & abſolutos, ex eo quòd tales ſint, liberos eſſe totaliter ab omni iudicio coërcitiuo, quæ eſt ratio fundamentalis, & vnica illorum Doctorum, qui eos liberos omninò faciunt à tali iudicio. Quare ſi non obſtat illorum ſupremitas, & abſolutio, quin in iſto caſu ſubiiciantur iudici arbitro, cur obſtaret vt Philippus ſubiiceretur iudicio Regni? Reſpondebis forſan, quia ex iure ciuili l. tunc libera, & abſoluta eſſet arbitri electio, & extra iuriſdictionis neceſſitatem, vt ſunt arbitri iuris; tamen ſi non eſſet aliud remedium ad controuerſiam dirimendam, videtur eſſe omnino neceſſarium, ac proinde iam ex neceſſitate teneretur ipſe Philippus tali iudicio ſe ſubiicere, non obſtante ſua ſuperioritate: quod ſufficit ad hoc, vt oſtendatur Principes ſupremos non eſſe omninò independentes ab omni iudicio

l. leg. 3. §. 1. ff. de recept. arbitr.

E coërciti

coërcitiuo,cum detur casus in quo debeant alicui se subiicere,ac sententię illius stare.

41. Secundus Doctor, quem Castellani citant pro independentia Principis supremi à iudicio coactiuo in nostro casu, est Victoria m. qui tamen dicto loco loquitur de Principe,qui est in possessione alicuius Regni,seu status;vt est Rex Galliæ in possessione Burgundiæ,& Rex Hispaniæ in possessione Neapolis, & Ducatus Mediolanensis (sunt formalia exempla,quæ ipse ponit) vnde nihil ad nos, quia in casu, de quo agimus,nec Philippus, nec vllus alius prætendentium erat in possessione Regni Lusitani.Numero autem sequenti,casum nostrum expresse proponit, ac resoluit contra illos, qui ipsum pro se citant,& allegant. *Si Ciuitas*(inquit)*ac Prouincia, de qua dubitatur, non habet legitimum possessorem, vt si deserta est morte legitimi Domini, & dubitatur, an hæres sit Rex Hispaniæ,aut Rex Gallorum, nec potest certum sciri de iure:videtur quòd si vnus velit componere,& diuidere,vel compensare pro parte,quòd alter tenetur recipere conditionem,etiãsi sit vi potentior,& poßit armis totum occupare; nec habet iustã causã belli.* Ex quibus verbis manifestè cõstat non fuisse Victoriam in ea

m *relect. de iure belli, num.* 27.

senten

ſententia, vt in cauſa dubia, qualis illa erat, provt euidenter non ſemel oſtensũ eſt, poſſet aliquis ſupremus Princeps pro ſe ſentẽtiam ferre, illamque ſuis armis executioni mandare, quod Philippus tũc tẽporis fecit.

42. Tertius Doctor eſt Nauarrus [n], qui tamen, etſi Principem ſupremum à iudicio coactiuo eximere videatur, non ideo illi poteſtatem concedit ſentẽtiam pro ſuo iure ferendi; imò teneri eum docet ſub mortali in Arbitros ſe compromittere. Sic enim inquit. *Nono peccat qui habet cum alio Rege Christiano ſuper aliquo Regno, vel dominio aliquam dubiam, & antiquam controuerſiam, quæ de iure non poteſt extingui, quia non habent Superiorem: neque bello, quia quorum arma adeò creuerunt, vt neuter ab altero ſuperari poſſit; & non vult in arbitros ſuſpicione carentes conuenire, vel accipere conditiones honeſtas, quibus pax firma fiat.* Ex quibus verbis non obſcurè colligitur præfatum Doctorem non loqui de caſu noſtro, ſed de alio valde diſſimili: nempe (meo quidem iudicio) de Regno Nauarræ, ſuper quo erat dubia, & antiqua controuerſia tunc temporis inter Regem Hiſpaniæ, & Regẽ Galliæ, quæ de iure nõ poterat extingui, quia neuter habebat ſuperiorẽ: nec

[n] *in manuali &c. 25. n. 4.*

etiam bello, quia æqualiter erant potentes: quæ omnia diuersa sunt in casu nostro. Cùmque agat de conscientiæ securitate, non verò de iure successionis, ideò docet teneri sub mortali in arbitros conuenire, vel accipere conditiones, &c.

43. Citatur etiam ab aliquibus Paulus Layman o. Sed non video quo iure: vnde eius verba omninò sunt referenda, posteaque examinanda, vt manifestè constet non fuisse in tali sententia. *Si tamen* (ait) *Princeps externus, & nullo modo subditus Regno, putet deberi sibi possessionem alicuius territorij, illudque iniustè à Rege, vel Regno negari, non video qua ratione vel Rex, vel Proceres Regni possint esse iudices in hac controuersia, ita vt alter, qui nullo modo adhuc subditus est, eorum iudicio stare teneatur.* Iste casus, vt ex ipsismet verbis manifestè apparet, omnino dissimilis est à nostro. Primò, quia supponit controuersiam illius Principis externi non esse cum aliis Principibus, sed solum cum ipso Regno, vel Rege ipsius, ita vt Rex, vel Regnũ sit pars litigans cum ipso Principe super tali territorio nolens illud tradere dicto Principi, vnde benè dicit non posse ipsum Regem, vel Regnum esse iudicem in dicta causa,

o. lib. 1. Theolog. moral. tract. 1. c. 5. §. 3. num. 28.

causa, quia nemo potest esse iudex in causa propria [p]. non verò propterea, quòd non sit subditus illius Regis, vel Regni, quia licèt talis non esset, nihilominus si contenderet cum aliis, vel exteris, vel nationalibus super aliquo dicti Regni territorio, semper teneretur stare præfati Regis, seu Regni iudicio, vt bene aduertit Vasquez [q]. adducens in exemplum Reges Hispaniæ, qui olim ratione Comitatus Burgundiæ erant subiecti Regibus Galliæ. Et est communis Iureprudentum sententia [r]. Secundò, quia dicit iniustè negari illi Principi à Rege, vel Regno talis territorij possessionem, vnde supponitur habuisse ius euidens ad illud; & in hoc casu nemo dubitat potuisse id sibi armis vendicare, vt infra demonstrabimus. Tertiò quia cum dicat adhuc subditum non esse illius Regis, vel Regni, supponit futurum, si dictum territorium obtinuisset; quod in nostro casu non ita se habet: si enim Princeps aliquis obtinuisset Regnum, non esset subditus illius virtute præfatæ obtentionis, sed Dominus supremus: vnde non benè citatur dictus Doctor pro opinione contraria.

[p] tit. C. nequis in sua causa.

[q] vbi supra n. 18.

[r] Pau. in l. vlt. ff. de iurisd. omn. iud. quem omnes sequuntur.

44. Demum ex antiquis adducitur etiam

P. Franciſcus Suarez, cuius doctrinam ego non ſolùm veneror, ſed ac ſi eſſet vnius Catholicæ Eccleſiæ veterum Patrum pro mea tenuitate totis viribus amplector, & ob hanc meam in tantum Doctorem affectionem, & reuerentiam, ipſius verba omnimoda attentione, ac ponderatione ſunt diſcutienda. Sic igitur aſſerit [f]. *Obſeruandum eſt non teneri ſupremum Principem ſtare iudicio eorum, quos ipſe non conſtituit ad iudicandum, oportet ergo, vt vtriuſque partis conſenſu arbitri eligerentur: quod quidem medium, quia rarò amplectuntur, ideò ſolet eſſe rariſſimum, nam ſæpiſſimè alter Princeps ſuſpectos habet iudices externos.* Iam ergo patet ex iſta prima concluſione, ſiue obſeruatione dictum Doctorem non eximere omninò ſupremum Principem ab aliquo iudicio coërcitiuo, cum dicat oportere, vt vtriuſque partis conſenſu arbitri eligerentur, non ad alium effectum, niſi vt cauſam per ſententiam diffinitiuam deciderent, & partes ad illius executionem cogerent. Et licèt addat huiuſmodi remedium rarò amplecti à Principibus, & ideò ſolere eſſe rariſſimum, cum hoc non proueniat ab æquitate iuris, ſed à malitia, & ambitione hominum, benè conclu

[f] *tract. de charit. diſp. 13. ſect. 6. num. 6.*

concluditur non excusari à peccato mortali, si præfato iudicio stare noluerint, cum enim agitur de eo, quod secundùm ius fieri debet, non est attendendum ad id, quod per fas, nefasque fieri solet, sed ad illud, quod iuxta iuris regulas fieri debebat. Nec casui nostro applicari potest illa ratio, in qua suam fundat doctrinam P. Suarez, quia licèt tunc temporis Philippus haberet suspectos iudices Lusitanos, nullo modo pro talibus habere poterat, Summum Pontificem, & eius Legatum Cardinalem Riarium, quos cæteri prætendentes admittebant, & ipse solus respuit, vt fatetur vester Conestagius.

45. Deinde per modum alterius conclusionis, seu obseruationis aduertit Pater Suarez. *Posse supremum Principem, si bona fide procedat, expendere ius suum per prudentes & doctos viros, quorum iudicium (si per illud sibi constat de iure suo) sequi potest; sicque non tenebitur stare aliorum iudicio.* Priusquam examinemus rationem, quâ suam hanc conclusionem probare intendit, ponderandæ sunt aliquæ ipsius

clausulæ. Prima igitur sit illa: *Si bona fide procedat*. Qui procedit bona fide, putat esse iustum, quod prætendit: fides enim est fundamentum iustitiæ [t]. vnde bonæ fidei possessor ille dicitur, qui v.g. putauit eum, qui sibi vendidit, ius vendendi habere. Si ergo Philippus bona fide, Regnum Lusitanum morte Henrici suum esse putabat, quare causam in iudicium proferre recusabat? Quare eodemmet tempore, quo (vt vester refert Conestagius [u]) per Moram, & alios corda ipsius Henrici, & illorum, qui apud ipsum plus valebant; quin & Nobiliorum totius Regni iam donando actu, promittendo verbis, & scriptis, vt deuotioni suæ illos omnes alliceret, qui causæ suę quomodolibet iuuare poterant, instanter sollicitabat, exercitum quadraginta millium peditum, exceptis equitibus ex omnibus Nationibus, quæ imperio suo subiiciebantur, præparabat? quam quidem præuentionem, etsi valde laudat vester Conestagius, illámque magnanimi Principis asseuerat, siquidē intra sui Regni confinia tam copiosum exercitum, cuius robore vti non deberet, nisi post Hērici obitum, de omnibus prouidere, ac sustentare per totum illud tempus, quo Henricus

t Cicer. 1. offic.

u lib. 3. fol. mihi 130. & seq.

ricus viueret, deliberasset; addit tamen euidens fuisse indicium, non tantùm prudentiæ, quantùm vehemētis cupiditatis dictum Regnum suæ Monarchiæ adiiciendi. Vndè non ineuidenter colligitur non bona fide tunc temporis processisse.

46. Alia ponderanda clausula est. *Expendere ius suum per prudentes, & doctos viros.* Circa quam inquiri debet, quinam essent isti? si enim subditi, seu Vassalli ipsius, ille alter Princeps, cum quo contenderet, illos suspectos habuisset, si extranei, eos ipse non admitteret, non enim datur maior ratio pro vno, quam pro altero: ergo, si secundùm P. Suarez doctrinam, remedium illud, vt de consensu partium arbitri eligantur, rarissimum est, quia Princeps alter suspectos habet iudices externos; rarissimum quoque erit, imò impossibile, ac etiam inualidum, vt vnus Princeps expendat ius suum per prudentes, ac doctos viros, quorum iudicium sequi possit, ac proinde nō teneri stare aliorum iudicio; imò remedium arbitrorū non solùm facilius, sed æquius, ac iustius est, quia potest eligi arbiter, qui neutri sit subiectus, à neutroque dependens, & vt talis æquè, ac iustè vtrique iustitiam ministret, pro vt

in casu nostro erat Summus Pontifex, & in eius defectum Cardinalis Riarius Legatus à Latere, de quorum integritate, ac rectitudine non poterat Philippus iustè dubitare.

47. Sed iam ad rationem examinandam, qua P. Suarez suam probat conclusionem, deuenientibus; illa sic habet. *Ratio est* (inquit) *quia ita est de hoc iure iudicandum, sicut de iusta lite: in iusto autem iudicio duo intenduntur: vnum est examen causæ, & cognitio iuris vtriusque partis, cui negotio non est necessaria iurisdictio, sed scientia potiùs, & prudentia. Alterum est executio iuris iam patefacti; ad hoc verò iurisdictio postulatur, quam pro se habet supremus Princeps, quando alias sibi constat satis de iure; tunc ergo non est cur expectare teneatur alterius arbitrium, quamuis debeat iusta pacta acceptare, si offerantur.*

48. Ad hanc igitur rationem dicimus libenter concedere, ita esse iudicandum de iure duorum, vel plurium Principum ad aliquod Regnum in cuius possessione nullus eorum est, sicut de iusta lite, similiter quòd in iusto iudicio duo intendantur, vnum scilicet examen causæ, & cognitio vtriusque

vtriusque partis:alterum executio iuris iam patefacti:negamus tamen ad illud primum non requiri iurisdictionem , sed scientiam, & prudentiam tantummodò. Ratio est euidēs,quia ad hoc,vt illa cognitio iuris vtriusque partis,sit sufficiens,& iuridica,vt ex illa possit postea iudex iuridicè pronūciare sententiam ,debet fieri ab aliquo habente authoritatem,& iurisdictionē, vt valeat citare partes,ac earum iura & rationes audire , ne ferret sententiam parte inaudita cōtra iuris dispositionē [x]: quod scientes,& iurisprudentes,nisi habeant iurisdictionem, facere non possunt.Confirmatur deinde,quia nullus litigantium,seu prætendētium vellet, nec teneretur rationes,ac iura sua ante alium proponere,vel quia esset supremus sicut ille,vel non subditus illius, quod ad intentum idem est , cumque nulla possit causa ostendi , ob quam vnus magis,quam alius ad id teneretur,causa ipsa semper maneret non solū indecisa, sed etiam sine vera , & iuridica cognitione,quæ omninò necessaria erat,vt iudex posset legitimè sententiam ferre. Vnde absolutè dicendū est,semper necessariā esse iurisdictionē ad causæ cognitionem iuridicam,& publicā,quāuis ad particularē,& priuatam

x cap. 1. de caus. possessi. & propriet. Clement. Pastoral. §. cæterū. de re iudicata.

uatam non omninò requiratur; ſed cùm in iſta non poſſit fundari legitima, ac iuridica ſententia, nec etiam dici poteſt, quòd ille, qui priuatam tantummodò cognitionem habuit, ſententiam ferre poſſit, ac eam executioni mandare. Vnde etiam ſecundum quod P. Suarez docet eſſe neceſſarium, iuriſdictionem nimirùm, quam Supremus Princeps ex ſe habet ad exequendum ius iam patefactum, videtur ſimiliter eſſe falſum; quia nullus Princeps, quãtumuis ſupremus, poteſt habere talem iuriſdictionem ad exequendum ius non patefactum iuridicè, hoc eſt citatis, & auditis partibus: (vnde P. Suarez in alio ſenſu quæſtionem hanc reſoluiſſe pro certo habeo, vt infra indicabo.) Probatur etiam à ſimili: quando iudex ſcientia priuatâ ſcit, v. g Titium eſſe innocentem illius criminis, de quo eſt delatus, non poteſt illum abſoluere, ſi ex ſcientia iuridica, hoc eſt, ex actis conſtat eſſe culpatum. Et è contrario ſi ex ſcientia priuata ſcit eum eſſe culpatum, non poteſt illum punire, quando ex ſcientia iuridica, hoc eſt, ex actis conſtat eſſe innocentem: ſimili modo Princeps, etſi expendat ius ſuum per prudentes, & doctos

viros,

viros, qui tamen iurisdictionem non habuerint ad expendēdum illud iuridicè, hoc est citatis, & auditis partibus, licèt ex eorum iudicio sibi constet de iure suo, non potest dictum ius executioni mandare, tenetúrque legitimi, ac veri iudicis stare iudicio, quia illa expensio iuris, quā fecit per prudentes, & doctos viros non fuit iuridica, sed priuata, quæ in causa litigiosa cum aliis, qui non sūt ipsius subditi, præcipuè si fuerint supremi, & absoluti, sicut ipse, vt in nostro casu aliqui erant, nihil omninò valet; erat enim omninò necessarium, vt illa iuris expensio esset iuridicè facta per iudicem authoritatem habentem in iudicio contradictorio auditis partibus successionem prætendentibus.

49. Probatur idem ab inconuenienti, seu potiùs absurdo, quod ex illa P. Suarez doctrina necessariò sequeretur: quia vnusquisque prætendentium dummodo esset Princeps absolutus, posset causam suam examinare, suúmque ius expendere, & propter fundamenta à scientibus, ac peritis, quos consuluisset, in sui fauorem adducta, sententiam pro se pronunciare: vnde tot essent sententię inter se contrarię, quot fuissent

sent

ſent Principes ſupremi , ac proinde nullus, & optimo fundamento , vellet alterius ſententiæ obedire, cum non daretur maior ratio pro vno, quàm pro aliis : & in hoc caſu opus omninò eſſet ad arma recurrere , bellúmque ex parte omnium eſſet iuſtum, quia quilibet haberet pro ſe ſuam ſententiam,in qua quidem belli iuſtitia fundabatur;quod eſt abſurdiſſimum dicere,cùm,ſecundùm veram Theologiam,non poſſit dari iuſtum bellum ex vtraque parte, niſi interueniente ex vna, ignorantia inuincibili, quæ in iſto caſu interuenire non poterat, cum omnes eodem niterentur fundamẽto, ſententia ſcilicet à ſe prolata: Vnde cũ neuter prætendentium poſſidet,quamuis pro ſe habeat fundamenta probabilia , non poteſt ius ſuum armis exequi, vt apertè docet Valentia ſequentibus verbis y. *Si autem res in neutrius adhuc partis ſit poſſeſſione , (vt ſi controuerſia , eſſet de iure hæreditario ad Regnum aliquod mortuo Rege) tunc in dubio quidem neutra pars poſſet alteram oppugnare pro obtinenda re tota.* Quam quidem doctrinam vnanimi ferè conſenſu , docent Theologi inſigniores , vt inferiùs latè oſtendemus. Quamobrem nõ ſine fundamento, & meo quidem

y *tom. 3. q. 16. de bello. pũcto. 2. verſ. ſi autem.*

quidem iudicio infallibili, omnino existimo P.Suarez non instituere huiusmodi quæstionem in eo sensu, in quo à Doctoribus communiter disputatur, quãdo videlicet ius vtriusque partis, est solum probabile, quamuis ex aliqua sit probabilius, sed quando ex vna est omnino euidens, quod videtur significare illis verbis, *Quando aliàs sibi cõstat satis de iure.* intelligens nimirum idem esse cõstare satis de iure, atque euidẽs, siue apertum (vt alij loquuntur) ipsius ius esse. Quod probatur ex iisdem verbis, iunctis antecedentibus, nõ enim dicit absolutè Principem supremum habere pro se illam, quam requirit iurisdictionẽ ad exequendum suum ius, sed in vno tantùm casu, quando scilicet sibi constat satis de iure: vnde benè deducitur loqui solummodo de iure euidente, siue aperto: & in hoc casu, vt infra monstrabimus, potest Princeps sibi assumere, etiam armis, quod præfato iure ad se pertinet. Sicque ex doctrina P.Suarez nihil contra nostram resolutionem inferri potest, imò infra videbis stare nobiscum in ista difficultate.

50. Satisfecimus iam, vt vidisti (R.P.) obiectis contra doctrinam Patris Vasquez deductis

deductis ex authoritate præcedentium Doctorum, nunc autem venientes ad illa, quæ tu adducis ex tuo ſapientiſſimo Arriaga, antequam eorum improbabilitatem, ne dicam falſitatem, oſtendamus, vanitatem illius tibi, & omnibus hanc noſtram admonitionem legẽtibus obiter patefacere operæ pretium duximus. Vanitatem dixi; & verè dixi: vanè enim, imò & vaniſſimè contra communem Magiſtrum ſe opponere prætendit, cum ex ore ipſius Diuinæ Sapiẽtiæ, *non ſit diſcipulus ſuper Magiſtrum, perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut Magiſter eius.* z. Quis ergo adeò vanus, & proteruus, ne dicam inſanus, qui Patrem Vaſquez communem neget Magiſtrum? Lux fuit Vaſquez non poſita ſub modio, ſed ſupra candelabrum, vt luceret omnibus, qui in domo Eccleſiæ ſunt; Eius doctrina laudata, ſequuta, & venerata eſt ab illis omnibus, qui illam intelligunt; ab illis autem, qui eam non capiunt, quid mirum ſi deſpiciatur? non manducant porci margaritas. Plurimi in cælum Vaſquez laudes immenſas extollunt; relictis omnibus, vnicus pro millibus audiatur Præco, ſit ille nunquam ſatis laudandus Baſilius Pontius Legionen

z Luc. 6. 40.

Legionensis, emeritus Primarius in Salmanticensi Academia, qui a. citans Vasquez pro quadam opinione ita ait. *Huius opinionis est P. Gabriel Vasquez Theologorum huius ætatis meo iudicio Princeps.* Et Ego etsi ad tanti Magistri conspectum sim quasi vermiculus quidam, audeo dicere neminem ante, nec post illum præsentem nostram quæstionem adeò exactè, clarè, ac fundamentaliter tractauisse, imò nec intimam ipsius profunditatem, vllo modo attigisse, vt ex dictis patet, clariúsque ex dicendis patebit.

a *lib. 4. de matr. c. 12. n. 8.*

51. Sed iam ad demonstrandam dicti Arriaga vanitatem accedentes, quæro à te (R. P.) an legeris omnia, quæ ipse dicit loco à te citato b. iunctis numeris antecedentibus, & subsequentibus? Non credo sanè: si enim illa legeres, proculdubio ipsius vanitatem facillimè perspiceres: nec auderes rationes Auctoris adeò vani in tuarum resolutionum comprobationem in publicum adducere, ac minùs te iactares, quòd primus illum adduxeris in defensionem iuris Castellani. Sed quia nimia in Castellanos Reges affectione, hæc non præuidisti, procurabo, quantum ex me est, vt illa

b *tom. 3. curs. Theol. disput. 24. se. 5. subsect. 4. n. 46.*

F vel

vel inuitus videas, licèt non fatearis.

52. Numero igitur 41. postquam refert Victoriæ doctrinam, ita prosequitur. *Hanc totam doctrinam approbat Vasquez quando propriè dubia res est, hoc est, quando non fertur iudicium probabile pro neutra parte.* Deinde, vel contra eundem Victoriam, seu vt veriùs puto, contra ipsum Vasquez, quasi illum ignorantiæ arguens, quòd Victoriæ mentem non percepisset, ita subiungit. *Ego tamen in hoc casu non video, quo pacto possit vllus ex illis Regibus* (inter quos supponitur controuersia de Regno) *ius prætendere in tale Regnum, si enim ex vna parte neuter possidet, & aliundè, nulla nec quidem probabilis ratio apparet, cur ad hunc, aut cur ad illum pertineat? cur, quæso, prætendent magis illi duo ius ad tale Regnum, quam quilibet alius homo, quandoquidem nihil plus est pro illis duobus, quàm pro omnibus aliis hominibus? nam rationes non probabiles, seu improbabiles etiam poterunt adduci, quibus probetur ad sartorem, vel sutorem pertinere, ideoque iam hi intrabunt in dubium.*

53. Priusquam vanitatem, seu potiùs ignorantiam huius censuræ ostendamus, oportet

oportet, quid Vasquez dixerit in medium afferre, vt ex ipsiusmet verbis vanitas huius tui Doctoris nouiter à te adducti euanescat, & ignorantia confundatur. Postquam autem Victoriæ sententiam refert, ita immediatè subiungit c. *Doctrina hæc mihi probatur, quando dubium inter duos Principes, tale est, vt pro nulla parte appareat probabilis assensus opinionis; in hoc enim casu potiorem esse causam, & ius possidentis, inferiùs ostendemus disputat. 66. cap. 7. Si verò neuter possideat, iusta videtur pro æquali dubio diuisio. Cæterùm præsens difficultas non est, quando res dubia est, & nullus probabilis assensus opinionis pro vna, aut pro altera parte habetur, sed quando quisque Princeps, qui de Regno contendit, habet probabilem opinionem pro sua parte, quam Doctores, quos ipse consuluit, putant esse probabiliorem; an possit ductus hac sola probabili, seu probabiliori opinione de iure suo ad Regnum, habere rectum iudicium conscientiæ, vt apprehendat sibi Regnum armis, si opus fuerit.*

c d. disp. 64. cap. 3 num. 10.

54. Constat igitur ex ipsis verbis Vasquez approbare quidem doctrinam Victoriæ, non tamen propter eandem rationem,

nec eodem fundamento: duplici enim sensu quæstionem tractat Victoria, vt suprà [d] ostendimus: vno scilicèt quando alter litigantium est in possessione illius status, aut Regni, de quo est controuersia, & in hoc casu ideò doctrinam illius probat Vasquez, quia licèt pro nulla parte appareat probabilis opinionis assensus, est tamen potior causa, & ius possidentis, vt latè probat citata disp. 66. Et omnium Doctorum est communis sententia, fundata in illa satis trita iuris regula. *Melior est conditiò possidentis.* Altero verò sensu, quando neuter possidet; & tunc etiam approbat Victoriæ doctrinã, diuerso tamen fundamento, quia nimirum pro æquali dubio, quod idem est, quod pro æquali iustitia, iusta videtur diuisio: quæ doctrina etiam ab omnibus probatur. Vndè iam patet vanitas, seu veriùs ignorantia, & falsitas huius tui noui, seu nouiter à te adducti Doctoris, quippe qui supponat quæstionem secundum mentem Vasquez agitari, quando ex vna parte neuter possidet, & ex altera nullus apparet opinionis assensus, coniungátque in vnam duas diuersas totaliter quæstiones, tractétque de illis duabus, tanquam si vna sola esset, & in eodem sensu,

[d] d. nu. 41.

ſenſu, non verò in duobus omninò diſtinctis. Et ideò benè explicat Vaſquez quæſtionem ſuam non agitari in eo ſenſu Victoriæ, ſed in alio, in quo ſcilicèt illam propoſuit in principio citatæ diſputationis, ſequentibus verbis. *Contingere ſolet, vt circa ius Regni varietas ſit opinionum, ita vt quidã probabiliter aſſerant ius talis Regni ad vnum Regem ſpectare, alij verò cenſeant etiam probabiliter ad alterum Regem pertinere &c.* Quod licèt tardè præuidens tuus Arriaga, recurrit ad aliter explicandam Victoriæ mentem, fatetur enim idem videri rem dubiam, atque iuſtitiam dubiam, ob rationes probabiles pro vtrâque parte.

55. Secundo loco circa id, quod aſſerit de mente Nauarri, idem Vaſquez, ſic arguit contra illum eadem ſanè intentione doctrinam eius tanquam futilem imò & falſam accuſandi. *Cenſeo* (inquit [c]) *in Nauarri doctrinam non habere vim argumenta illius* (id eſt Vaſquez) *nam Nauarrus ſupponit, ſi per viam iuſtitiæ poſſit lis componi, debere eo modo componi: ibi autem non excludit Nauarrus ideò inter Reges ſupremos non poſſe iuridicè litem decidi, ea præciſa ratione quòd non habent ſuperiorem, vt Vaſquez ei attribuit, ſed*

c *vbi ſupra n.44.*

docet ideo non posse decidi verè, quia, & carent superiore, & iura vtriusque, seu prætensio est ab antiquo, & obscura: quibus supponit, etiamsi non haberent supremum, per iurisperitos debuisse causam decidi, si aliundè non repugnaret, ob obscuritatem, vt dixi, iudicium.

56. Vt huic inuectiuæ potiùs quàm argumento circa Nauarri mentem explicandam respondeatur, nihil aliud necessarium duxi, nisi verba Nauarri grammaticaliter, sicut dicunt pueri, quando incipiunt Latinam linguam addiscere, ad pedem litteræ in Hispanum vertere idioma, fortassis enim illud faciliùs intelliget iste tuus Arriaga, vtpotè vernaculum, quàm Latinum. Hæc igitur sunt Nauarri verba, quæ supra retulimus; ad quorum pedes Hispanicam versionem verbo ad verbum apposuimus.

Nono peccat qui habet cum aliquo Rege
Nono peca quien tiene con algun Rey
Christiano super aliquo Regno, vel Do-
Christiano sobre algun Reyno, ò Do-
minio aliquam dubiam & antiquam con-
minio alguna dudosa y antigua con-
trouersiam, quæ de iure non potest
trouersia, laqual por derecho no se puede
extingui, quia non habent superiorem:
acabar, porque no tienen superior:

neque bello, quippe quorum arma adeò
ni por guerra, porque cuyás armas tanto
creuerunt, vt neuter ab altero ſuperari
crecieron; que ninguno por el otro puede ſer
poſſit; & non vult in arbitros ſuſpicione
vencido, y no quiere en arbitros ſin ſoſpe-
carentes conuenire, nec petere, vel acci-
cha comprometerſe, ni pedir, ò ace-
pere conditiones honeſtas, quibus pax
tar condiciones honeſtas, con laſquales la paz
firma fiat:
firme ſehaga:

57. Ecce (R.P.) quem Authorem adducis ad probandam tui argumenti minorem propoſitionem. *Qui in vno deliquit, factus eſt omnium reus* f: *Et ſemel malus, ſemper præſumitur malus in eodem genere mali:* Mendacem teſtem adhibuiſti ad comprobandam tuam aſſertam veritatem, benè ergo ipſa falſitatis conuincitur, non in vno tantùm pũcto, ſed in omnibus: Attende precor. Dicit in primis tuus Arriaga argumenta Vaſquez non habere vim cõtra doctrinã Nauarri, quia iſte ſupponit, ſi per viã iuſtitiæ poſſit componi, debere eo modo cõponi: Nihil tale ſupponit Nauarrus, imò

f Iacob. 2.10.

contrarium expreſsè dicit. ibi: *controuerſiam quæ de iure non poteſt extingui.* Deinde aſſerit non excludere Nauarrum, ideò inter Reges non poſſe iuridicè litem decidi, ea præciſa ratione, quòd non habent ſuperiorem: & tamen ipſe reddens rationem ob quam inter Reges non poſſit iuridicè extingui controuerſia, dicit abſolutè: *quia non habent ſuperiorem.* Tertiò affirmat docere Nauarrum præfatam controuerſiam nō poſſe decidi verè, quia & carent ſuperiore, & iura vtriuſque ſeu prætenſio eſt ab antiquo, & obſcura: quod quidem ille non dicit, ſed quando in principio proponit ſuā concluſionem, ita eam introducit. *Qui habet cum aliquo Rege &c. aliquam dubiam, & antiquam controuerſiam.* Quartò concludit Nauarrum ſupponere, etiamſi non haberent ſupremum, per iuriſperitos potuiſſe cauſam decidi, ſi aliunde non repugnaret ob obſcuritatem iudicium. Quod quidem eſt quædam chimæra, & fictio ipſius; nec Nauarrus verbis illis *obſcura*, & *obſcuritatem* vtitur: nec quando reddit rationem, ob quam ſimilis cauſa non poſſit de iure decidi, aliam aſſignat, niſi quia non habent

habent ſuperiorem.

58. Duobus igitur modis poſſet talis controuerſia extingui: primò de iure, hoc eſt per iudicem competentem, qui, auditis partibus, & ipſarum fundamentis cauſam finaliter ſententiaret. Secundò per bellum ſeruatis conditionibus requiſitis, vt eſſet iuſtum: Non ſolùm autem iuxta mentem, ſed etiam iuxta verba Nauarri, neutro in caſu ab illo propoſito talis controuerſia decidi poterat: non primo, quia ambo Reges, cum eſſent ſupremi non habentes ſuperiorem, à nullo poſſent iudicari: non ſecundo, quia amborum arma ita creuerant, vt neuter ab altero ſuperari poſſet. Quando autem ſic ſuccederet, docet Nauarrus illùm ex duobus peccare, qui in arbitros ſuſpicione carentes conuenire non vellet, nec petere, vel accipere honeſtas conditiones. Vndè tandem conuincitur falſitas conſequentiæ tui Arriaga in tot aliis fundata, vt monſtrauimus, & legentibus manifeſtè patebit: quia primò infert teneri conſulere iuriſperitos, deinde iudices arbitros, ac demum armis ſuum ius propugnare.

59. Meritò ergo colligit Vaſquez, vt apud ipſum videre poteris eam eſſe men-

tem Nauarri, vt vnuſquiſque Princeps rationes ſuæ cauſæ per ſe, & Doctores ſuos examinare poſſit, & ſi ius potiùs ad ipſum, quàm ad alterum pertinere viſum fuerit, ſententiam ferre, & armis Regnum occupare, ſi alia via non valeat. Quæ eſt autem illa alia via, niſi vna ex illis, quas Nauarrus impoſſibiles dicit, videlicet vel iuris, eo quòd non habeant ſuperiorem: vel armis, quia adeò creuerunt vtraque, vt neuter poſſit ab altero ſuperari. Hæc proculdubio videtur eſſe vera, ac germana mentis Nauarri interpretatio, quidquid futiliter, mendacitérque ſomniet tuus ſapientiſſimus Arriaga: ad cuius, & tui etiam confuſionem, hæc omnia diſcuſſi, non quia Vaſquez doctrina, cum ſit Theologorum noſtri temporis Princeps, vt ſupra ex Baſilio diximus, mea indigeat defenſione, ſed, vt veſtra contra communem Magiſtrum vanitas apertiùs legentibus pateſiat. Præterquamquòd ſi de mente Nauarri iudicandum mihi eſt, intentionem ipſius exiſtimo non eſſe aliam, quàm alludere ad controuerſiam inter Regem Galliæ, & Regem Hiſpaniæ ſuper Regno Nauarræ (vt iam ſupra dixi) quæ quidem dubia, & antiqua

ſuo

ſuo tempore erat: & quorum arma adeò creuerant, vt neuter ab altero ſuperari poſſet: vt teſtantur Hiſtoriæ, ſeu Chronologiæ Philippi Secundi, & Henrici Quarti.

60. Tertiò, contra ſpecialem Vaſquez doctrinam opponit, illam tantummodò habere locum in Regnis electiuis; & ratio, ſeu fundamentum eſt, *quia ille cauſam ſucceſsionis decidere debet, ad quem ſpectat ſucceſſorem eligere.* Siſte parumper (R. P.) & conſidera huius tui ſapientiſſimi barbariem. Electio, & ſucceſſio ſunt oppoſita: in Regnis, vbi datur electio, non poteſt dari vera ſucceſſio, quam ergo ſucceſſionem debet decidere Regnum? Quomodo poteſt controuerti cauſa ſucceſſionis inter aliquos prætendentes, in Regno, quod eſt electiuum, & non ſucceditur in eo, iure ſanguinis, vel hæreditario, ſed per electionem multorum, aut paucorum ſecundùm ſuas leges: hoc eſſet decidere controuerſiam de eo quod non eſt, nec eſſe poterat: ſi non datur ſucceſſio, nec hæreditas, quomodo debet decidi cõtrouerſia de ſucceſſione, aut hæreditate? Sed non ſiſtit hîc præfata barbaries, imò tantò vltra progreditur, vt

præten

prætendens sui Regis causam iuuare, illam omninò destruat. Sic enim addit: *Ob eam rationem meritò in Aragonia ad Regni iudicium recursum est, quia Aragoniæ Regnum elegit sibi olim Reges, & præscripsit illis certas regulas.*

61. Illam potestatem eligendi suos Reges, quam attribuit Aragoniæ, vel intelligit de electione primi Regis post Maurorũ occupationem, quia cùm ille Comes tantùm esset, ob insignem victoriam, quam à Mauris reportauit, à suis nominatus, & acclamatus fuit Rex: & in hoc sensu etiam Pelagius, cum à principio Infans solùm diceretur, posteà à suis acclamatus fuit Rex Legionis: Eodem modo primus Castellæ Rex, cùm priùs similiter Comes tantùm vocaretur: sicque etiam Alphonsus, Rex Lusitanię salutatus in Campo Auriquio ab exercitu fuit, & posteà à Regno toto electus, & confirmatus in Comitiis Lamæcensibus: ac tandem Garcia Ximenes, cum solùm esset imperator, seu, vt communiter dicitur, Capitaneus, Rex Sobarbæ, quæ postea dicta est Nauarra, electus fuit ac salutatus. Nec proinde præfata Regna in posterum fuerũt electiua, sed hæreditaria. Vel intelligit de aliis

aliis electionibus succeſſiuis poſt illam primam: quod ſi ita eſt, benè proclamarunt Catalani Principatum eſſe electiuum, & nō hęreditarium, quo quidem fundamento inter alia Regi Catholico obedientiam negarunt, illámque ſpontaneè Chriſtianiſſimo præſtiterunt. Vnde hic tuus Arriaga volens iuſtitiam ſui Regis defendere, illam omninò deſtruxit; confirmans quod Catalani contra illum in ſuis proclamationibus allegabant.

62. Deinde, vt ſuam manifeſtet intentionem, ſeu potiùs, vt venenum in mente conceptum verbis euomat, addit: *in Regnis, quæ primùm à Regibus ſuis armis fuêre occupata, & Regnum non cenſetur habere vllum ius eligendi, vt Luſitania* (huc totius ſuæ doctrinæ, ſeu veriùs veneni ſagittã, ſed arundineã, non ferream collimauit) *& Caſtella, vbi Prouinciæ nullúm habent ius eligendi ſibi caput, non videre, cur, quando dubitatur de iure ſucceſſionis, debeat ipſum Regnum decidere cauſam?* Aduerte (R.P.) eademmet ratione, qua iſte tuus ſapientiſſimus, Magiſtrum Vaſquez aut conuincere, aut ſaltem reprobare prætendit, ſuam fateri cæcitatem. Ideò Vaſquez non benè de hac controuerſia ſentire

aſſerit,

asserit,quia ille non videt,cur ita sentiat. O cæcum,&ducem cæcorum,quis te obcæcauit,vt non videres cur?Vasquez forsitan (vt tu,& alij similes ignorantes) docuit aliquid, cuius non redderet fundatissimam rationem? Quare ergo illi non respondetis in forma syllogistica, vt in Logica addiscere debueratis? Si ipsius doctrinam reprobatis, cur ad fundamenta, quæ ipse clarè, ac distinctè in eius confirmationem proposuit, non satisfacitis? Benè igitur concluditur, nihil contra illam vos inuenire potuisse, siquidem nullus vestrûm, qui post illum scripsistis, nec directè, nec indirectè aliquo modo ei respondistis, nisi illis clausulis generalibus: *quidquid dicat Vasquez*: vel, *quamuis contrarium doceat Vasquez*: & aliis similibus, quæ ignorantiam potiùs, quàm scientiam manifestant.

63. Sed tandem deuenientes ad id, quod ex hoc tuo sapientissimo Doctore in confirmationem tuæ minoris propositionis specialiter adducis; antequam illud examinemus, te, & Lectorem aduertimus, ideo præterita ab ipsomet prolata priùs discussisse, vt vanitas tua,& ignorãtia

illius

illius legentibus innotesceret. Vanitas tua, quia iactaris, te primùm adduxisse istum Doctorem in Castellani iuris defensionem: ignorantia illius, quia sui, & vniuersalis Magistri voluit damnare doctrinam, nihil ipsius argumentis respondens, imò nec aliquantulam mentionem de illis faciens.

64. Quo supposito, audiamus quid adduxeris ex isto tuo Doctore. Ita ille enthymema pro parte Vasquez confecit. *Per se ad omne Regnum, & Prouinciam pertinet, vt, deficiente hærede Regni, Regnum sibi eligat caput: ergo saltem ob eam rationem habet ius, vt in dubio de hærede decidat causam.* Respondet autem: *in casu præsenti non esse defectum hæredis, sed quis eorum iuxta leges, aut dispositionem priorum Regum habeat maius ius.* In primis nec Vasquez, nec vllus eorum, qui iura Regis Ioannis Quarti nouissimè defendunt, præfato argumento, (licèt non inefficaci, vt statim demonstrabimus) vsi sunt, quia alia fortiora, & efficaciora, satísque euidentia producunt: Quare ergo hic tuus Doctor fingit argumentum, quod aduersarij non

oppo

opponunt, vt illi ineptè, ac ignoranter respondeat, non satisfaciens illis, quæ ipsi adducunt? sanè quia in sua offuscata mente quid argumento à se ficto responderet, etsi ineptè, inuenit, contra rationes autem aduersariorum, nec vnam quidem concepit.

65. Sed accedamus ad examen huius responsionis, quæ sanè non ignorantissima tantùm, sed barbarissima omninò est. Argumentum sic procedit, vt ex eo quòd Regnum habeat ius eligendi sibi Regem, deficiente hærede, illud etiam habere debeat, vt in dubio, hoc est, quando plures sunt hæredes, & non constat, ad quemnam illorum verè, & realiter iuxta leges, aut priorum dispositionem Regum, ipsum pertineat, causam decidat. Et iste tuus doctor, à te primum adductus respondet in præsenti casu non deficere hæredes. Barbare, quis hoc tibi negat? Ideò quia non deficiunt hæredes, debet decidere Regnum quisnam ex ipsis, cæteris sit præferendus: & hoc dicit argumentum ad Regnum attinere, quia etiam, quando omnino deficit hæres, debet, & potest de Rege prouidere. Ratio autem efficacissima

efficacissima ea est, quia ideò Regnum potest eligere sibi Regem deficiente hærede, quia illa suprema potestas, quam à principio transtulerat in primum Regem, & consequenter in omnes suos legitimos successores; deficiente vltimo sine hærede, ad ipsum Regnum ita redit, vt possit illam de nouò, in quem elegerit, transferre; quia aliter dictum Regnum sine potestate aliqua maneret, quæ illud gubernaret, & ita vnusquisque posset facere quidquid vellet sine superiore, qui ipsum coërceret; quod est contra ius naturale, dictans, vt inter homines vnius Regni sit potestas gubernandi, & principatus politicus, qui in eo casu resideat in tota communitate, vt docent Doctores communiter [g]. Atqui, quando vltimus Rex decedit sine declaratione successoris, & sunt plures qui succedere prætendant, nullus tamen euidenter pro tali reputatur, ita vt causa successionis sit omninò litigiosa, suprema potestas pro tunc redit ad ipsum Regnum, quod Regem repræsentat, & in iuris censura est idem cum illo quod à principio transtulit dictam potestatem in Reges: ergo si deficiente hærede potest eligere nouum Regem, quia reassumpsit

g. Suarez lib. 3. contra Angl. c. 2. n. 5. & seq. & c. 3. n. 13. Molin. de iustit. disp. 22. & 23. Mend. in lib. 1. Reg. c. 8. n. 5. in exposit. liter. §. 15. Bellar. lib. 3. de Laicis c. 6. vers. Secundò.

ſumpſit primam poteſtatem, quam Regibus tradiderat, poteſt etiam eademmet poteſtate, quando inter duos, vel plures ſucceſſio controuertitur, iudicare, ad quemnā illorum iuſtè pertineat. Paritas autem rationis ex eo oſtenditur, quia ad Regem, dum viuit, ſi legitima caret deſcendentia, pertinet declarare, ac iudicare, quis ex collateralibus poſt ſuum obitum ſibi debeat ſuccedere, vt docuit Baldus [h], quem communiter ſequuntur Iuriſtæ [i]. Sed Regnum poſt ipſius mortem habet eandem authoritatem: ergo ſi Rex poterat, etiam poteſt Regnum mortuo Rege. Vnde iam vides (R. P.) niſi velis te cœcum iudicemus, quòd tuus Arriaga propoſuit argumentum contra ſe, cui reſpondere neſciuit.

66. Exemplificat deinde ſuam malam doctrinam (ne dicam ignorantem) in caſu noſtro, aſſerens *tempore Philippi conſtare quidem de hæredibus, ſed dubitari an fœmina filia viri, an verò vir filius fœminæ ſuccedere deberet.* Aduerte hunc tuum Doctorem fateri iam controuerſiam eſſe dubiam, & tamen negare illius deciſionem ad Regnum, quà tale, pertinere, non quia Philippus eſſet Prin-

ceps

[h] *in proœmio Decretal. col. 2.*

[i] *Laudēſ. in tract. de Principe. q. 418. Oldrad. conſil. 94 in princ. Suar. in l. quoniā in prioribus, limit. 11. ad leg. Regni. dub. 2. num. 22. Gam. deciſ. 307. num. 24. Aguirre. apol. pro Philip. p. 1. n. 130. Et apud ipsū Corſet. in tr. de Rege, q. antepenult. Brun. cōſil. 135 verſ. 6.*

ceps ſupremus, vt dicebant Compluten-ſes, & nunc dicunt nouiores Caſtella-ni; ſed ex eo ſolùm, quia non Regnum, ſed prædeceſſores Reges hæreditatis clau-ſulas ſtatuerant. Ex quo euidenter dedu-citur, iuxta ipſius mentem, ſeu potiùs verba, poſſe quidem Regem, antequam obiret, controuerſiam ſucceſſionis iuridi-cè dirimere, & provt iuſtitia poſtularet, verum ſucceſſorem declarare: quod ta-men Philippus ſuis ſolitis cauillationi-bus, ac technis non ſolùm negauit, ſed etiam omnino refugit: in eo ſemper te-naciter perſiſtens, vt Henricus abſque vlla forma iudicij, inauditis aliis præ-tendentibus, ipſum verum ſucceſſorem publicaret. Si ergo Rex poterat in vita ſua Philippum ſuum ſucceſſorem decla-rare, vt ipſemet ab Henrico poſtula-bat, quare non poſſet Regnum poſt ipſius obitum, ſi, vt probauimus, eandem tunc habebat poteſtatem? Reſpondet forſan Caſtellanus aliquis, quia Philippus non hoc poſtulabat ab Henrico, tanquam à iudice, talem illum recognoſcens. Sit. Ergo malè poſtulabat, quia nec Henricus,

nec vllus alius Rex, nisi vt iudex, potest successorem declarare, cum non sit Dominus Regni post suum obitum, vt posset illum, cui vellet, relinquere suo arbitrio; quòd si tale fecisset, grauissimè peccaret: vnde aut fatendum est, quòd Philippus volebat, vt Henricus grauissimum committeret peccatum, propter quod à Deo iustissimè in æternum damnaretur; quo nihil iniquius, ac proinde nec cogitandum quidem de Rege Catholico; aut omnino sensisse dicendum ad Henricum iuridicè pertinere successorem declarare. Et si ita est, vt piè credere debemus de tanto, támque Catholico Rege, cur noluit iudicio Henrici se submittere, vt in conscientia debebat. Hoc dilemma (R.P.) cum tibi per tempus licuerit exactè examina, & tunc quid iudicaueris, mihi respondebis; interim redeo ad tuum Arriaga.

67. Quamquàm omnia, quæ præcedenti numero diximus, militent, vimque habeant in omnibus similibus casibus generaliter loquendo; alia ratio in nostro efficacissima apparet, quam priùs negare, aut saltem impugnare debebat hic tuus Arriaga, (vt defacto negant moderni Castellani)

vt ſuam poſſet aliquo modo cohoneſtare ſententiam. Dicit igitur non Regnum, ſed prædeceſſores Reges hæreditatis clauſulas conſtituiſſe: vndè infert non pertinere ad Regnum cauſam ſucceſſionis decidere; ſed tamen fallitur, quia ignorat, aut neſcire fingit clauſulas ſucceſſionis Regni Luſitani nõ à Regibus tantùm, ſed à Regno fuiſſe conſtitutas, licèt fuerint approbatæ, ſeu veriùs acceptatæ ab ipſo primo Rege nomine ſuo, & ſucceſſorum, quem priùs exercitus in Campo Auriquio Regem ſalutauit, & poſtea in Comitiis Lamæcenſibus confirmarunt Regni Ordines, legéſque ſeu ſtatuta ſucceſſionis decretarunt ipſo Rege approbante, ſeu acceptante, vt videre poteſtis apud Caramuelem k, veſtrum defenſorem. Deinde infert ſecundò Philippum meritò non recurriſſe ad Regnum, ſed ad Iuriſperitos, nec proinde potuiſſe prudentes illi vitio vertere, quòd id fecerit. Et tandem ex iſtis diſparatis propoſitionibus, nullámque inter ſe connexionem habentibus, ſuo bono, & ſano (ne dicam inſano) iudicio, infert non eſſe vniuerſaliter verum præfatam controuerſiam ab ipſo Regno decidi debere.

k *in Philip. demõſtr. lib. 2. diſput. vnic. q. 1. a. 4.*

68. Sed Deus Bone! Vide tandem confusionis chaos in mente huius tui Doctoris. Sic enim concludit: *Si subditi Iuristæ habeantur suspecti, Reges debent conuenire Iuristas, & Theologos alterius Regni non suspectos, & illorum stare iudicio, vt cui adiudicata fuerit causa, tanquam probabilius ius habenti, vel cedatur Regnum, vel satisfactio competens exhibeatur.* Vnde sic ostenditur ipsius confusio. Si Iuristæ non debeant esse suspecti alicui ex prætendentibus, quia non datur maior ratio de vno, quàm de altero, & si tales fuerint respectu alicuius, debeant omnes conuenire in Iuristas, & Theologos alterius Regni non suspectos, & stare illorum iudicio: quid est hoc (dicas mihi amice Arriaga) nisi teneri tales Principes in dicto casu conuenire in arbitros non supectos? nam quod sint, vel non sint Iuristæ, ac Theologi, nihil ad rem facit, quia Iudices arbitri quiqui sint, ad maiorem conscientiæ securitatem, semper solent Iuristas, & Theologos non suspectos consulere, alioquin contra conscientiam procederent, quod nunquam credi poterit de viris omni exceptione maioribus, quales eligi solent arbitri ad similes causas de-

cidendas, quòd in Iuristis, & Theologis, nisi sint Sancti, difficillimè inuenietur, quia, vt homines inferioris ordinis, & conditionis, adulatione magis, quam veritate placere student. Tuam doctrinam (amice Arriaga) & illam tui asseclæ Patris Dianæ examina, semota omni animi passione, & dubio procul inuenies, quòd nō fallor; ambo enim ad captandam potiùs vestri Principis gratiam, quàm ad veritatē propalandam, absque vlla necessitate nouissimè super hac controuersia indiuidualiter scripsistis, nihil de nouo, quod vim aliquam habeat, in sui fauorem adducentes. Vnde tandem concludenda sunt duo: primum, quòd vester Augustissimus Philippus, nec secūdùm doctrinam veterum Doctorum, nec secūdùm eam, quam vos nouissimè introducere nitimini, habuerit iura luce meridiana clariora, ad Lusitani Regni successionem. Secundum, quòd Regni iudicium declinare non poterat, vel saltem, iuxta tradita à suismet Doctoribus, in arbitros alterius Regni non suspectos omninò conuenire: quales, vt iam non semel diximus, tunc temporis erant Summus Pontifex Gregorius XIII. & Cardinalis Riarius Legatus à latere

vterque doctissimus Iurista, & vterque non suspectus; in quos, quia tales, omnes alij prætendentes libentissimè conueniebant, & Philippus solus noluit conuenire, vt vester fatetur Conestagius, cuius authoritatem, ac veritatem acerrimè defenditis.

69. Adducis deinde (R.P.) in confirmationem tuæ Minoris, Patrem Franciscum Bardi Panormitanum Iesuitam (aduerte obiter omnes illos, quorũ authoritate inniteris, aut esse Castellanos, aut saltem Regis Castellæ subditos, seu vassallos, quid igitur in hac controuersia dicere poterant, nisi quod dicunt?) Hic igitur Pater (vt tu dicis) adducit quæ Vasquez, & alij docuerunt: de Arriaga ita asserit[1]. *Arriaga multa dicens examinando rationem Vasquez, tandem concludit in omnibus ferè casibus optimum modum componendi talia dubia, esse, per Iurisperitos decidenda.* Quibus verbis mihi videtur istũ Authorem dormitando, vel oscitando legisse Arriaga, siquidem dicit illum examinasse Vasquez rationem, cum nec verbum quidem de illa faciat. Examinauit sanè, sed futiliter, & ignoranter, quid Vasquez dixerit circa Victoriæ, & Nauarri mentem explicandam: at circa rationem, qua suam probat,

[1] *de conscient. discurs. 4. c. 24.*

probat, ac fundat sententiam, nec vnum tantùm verbum, nisi illud, quod iam retulimus, videlicèt: *Non video curs, quando dubitatur de iure successionis, debeat ipsum Regnum decidere causam.* Et sicut ille non vidit cur; sic similiter P. Bardi non vidit: si enim vidisset, aliquid respondere debuisset, & non confugere ad praxim; cum enim in ista quæstione, sicut in toto illo Tomo, de eo solummodò agat, quod in conscientia fieri debeat, ignoranter recurrit ad illam. Nam & si debitus procedendi ordo in his casibus à Principibus absolutis hodie non seruetur (quod ego cum dolore cordis intrinseco fateor) qui tractant materias de conscientia, non debent agere de eo, quod Principes, per fas, nefásque, ambitione potiùs, quàm ratione ducti operantur; sed de eo, quod iuxta rectitudinem, & conscientiam sanam operari debeant.

70. Addit præterea dictus P. Bardi tanquam nouam sententiam ex proprio marte productam: *Tanquam certum existimo, quòd Rex, qui prætendit, adhibere debet consilium plurium, qui nulla suspicione notari valeant, timoratæ conscientiæ, & prudentes,*

qui absque passione causam examinent, & secundùm eorum sensum, perpensis omnibus circumstantiis, determinent, quid licitè à Rege sit faciendum. Ecce quomodò iste bonus Pater Panormitanus in suis discursibus de conscientia resoluit importantissimam conscientiæ quæstionem, adeò inter primarios Theologiæ moralis, ac Iurisprudentiæ Doctores controuersam, qui omnes ad suam stabiliendam de ea opinionem, varias excogitarunt, & adduxerunt rationes, ac fundamenta. Si omnes similes controuersæ quæstiones per *Certum existimo* resoluendæ forent; etiam Sator, & Sutor, (vt ad aliud intentum malè dicit Arriaga) pro Doctoribus Theologis, & Iuristis haberentur, quia etiam quilibet eorum dicere posset, *Certum existimo.* & aliquando forsan aliquis eorum firmiori fundamento, quod ab aliquo docto percepisset. Nihilominus tamen qualitates illas examinando, quas dictus Pater requirit in illis, quos Rex consulere debet antequam bellum alteri Principi indicat; Non dubito quòd in quocumque Regno multi inueniantur prudentes, & aliqui timoratæ conscientiæ, quamuis

vt

vt plurimùm omnes in sui Regis obsequium illam deponere soleant, pro vt quotidie in illis videmus, quos ad noua imponenda tributa, & iam imposita augenda consulunt: rarus enim, imò rarissimus est, qui illis authoritatem ad vtrumque neget: ac sæpissimè si ipsi Reges in tali materia sint dubij, & scrupulosi, mille phantasticis rationibus omnem dubietatem, ac scrupulum illis tollere procurat. Sed quid dicendum de duabus aliis qualitatibus, nempè: *qui nulla suspicione notari valeant* : &, *absque passione causam examinent* ? Qui namque erunt isti, & laudabimus eos? Iam enim diximus istos debere esse subditos illius Principis, qui eos consuluit; vel alterius aduersarij, cumque vterque illos habeat suspectos, qui non fuerint subditi sui, vt ex P. Suarez supra [m]. diximus, euidenter sequitur vtrosque esse suspectos, quosdam vni, & quosdam alteri Principi, sicque semper talis causa manebit indecisa; Vndè omninò necessarium est, vt qui iudicium Regni declinare contendunt propter allatam rationem, recurrant ad arbitros, vt supra monstrauimus. m. n. 44.

71. Tandem (R. P.) in confirmationem

n. vol. 1. de fide, spe, & charit. disp. 169. sect. 7. §. 65. cum seqq.

nem minoris tui argumenti adducis tuum doctissimum Hurtadum de Mendoza n. cuius verba, seu potiùs Discursum priusquam examinem, non possum non mirari, quòd omnes, quos pro tua sententia in hac tua resolutione adducis, sint Iesuitæ, à quibus aquam sapientiæ efflagitas; cum tamen Theatini non citantur à Iesuitis; sed, vt puto, qui eratis inimici, vel saltem æmulatores ad inuicem; facti estis amici in hac controuersia ad damnandam, seu potiùs infringendam acclamationem Regis Ioannis; sed minimè poteritis.

72. Quó obiter supposito, veniamus ad id, quod statuit iste tuus Doctor, nimirùm: *posse Principem declinare iudicium illius Regni de quo agitur, quando in eo non sunt iudices æqui, quia prauo aliquo affectu mouentur; qui enim dicunt standum esse iudicio Regni, de quo est controuersia, asserunt non teneri Principem ad standum Regni iudicio, quando desperatur æquitas.* Iam ex ista sua prima resolutione apertè tenemus, quod si æquitas non desperetur, quia iudices sunt æqui, vel saltem tales secundùm rectam rationem debent supponi, non potest Princeps declinare illorum

lorum iudicium. Deinde in forma ad argumentum, totum illi concedo, nego tamen exemplum, seu simile de Philippo, & Regno Lusitano, quod absque vlla necessitate, imò & proposito introducit, vt suo Regi aliquo modo ostenderet se causam suæ possessionis defendisse: asserit enim *ideò Philippum inexpectata Lusitaniæ sententia Regnum occupasse, quia cùm vniuersum esset Castellanis infensum, iudicaturum erat non ex æquitate, sed ex inimicitia.*

73. Antequam ad examen exempli adducti veniamus, miror etiam hos omnes, quos ad minorem tui argumenti comprobandam, vel saltem corroborandam adducis, diuersa via Lusitaniæ occupationem armis Philippi obtentam, ac Regni iudicij declinationem prætendisse defendere. Arriaga etenim ex eo, quod non Regnum, sed prædecessores Reges clausulas hæreditatis constituerunt: & ideò recurrit ad Iurisperitos, & Theologos. Bardi, quia in praxi ordo à Doctoribus præscriptus, à Principibus non seruatur; ac ideo non iam ad Theologos, & Iurisperitos, vt Arriaga, sed ad nulla suspicione notatos, ti-

moratæ

moratę cõſciẽtię, ac prudẽtes recurrẽdum docet, qui paſſione quacunque expertes causã sũma integritate examinent. Ac tandẽ Mẽdoza ad ſuſpicionem confugit, abſolutè affirmans vniuerſum Luſitaniæ Regnum Caſtellanis eſſe infenſum. Siquidem (R. P.) vel ex tuis, vel ex alienis laboribus (quod modò non diſquiro) alios tot voluminibus docuiſti: doce (precor) te ipſum, vt videas, ſeu addiſcas non eſſe certam illam doctrinam, imo nec mediocriter probabilem, ad quam ſtabiliendam varij varias excogitant ex ſua mente rationes, quarum nulla aliquid probat, præſertim, quando non ſatisfit argumento, ſeu potiùs fundamento partis contrariæ. Quid valet, quòd Arriaga recurrat ad clauſulas hæreditatis Regnorum, & inde ad Iuriſperitos, ac Theologos. Bardi ad non obſeruantiam in praxi. Mendoza ad ſuſpicionem Regni Caſtellanis infenſi: Si nullus eorum, fundamento ſolido, firmo, ac plurium iudicio concludenti, quo Vaſquez ſuam ſtabiliuit doctrinam, nec directè, nec indirectè reſpondeat, imò nec illius mentionem aliquam faciat?

Sed

64. Sed ad exempli examen reuertentes, dicimus vel loqui de infensione illa generali, & communi omnibus Regnis, Prouinciis, ac ciuitatibus confinantibus: & hæc quidem non est vera suspicionis causa, nec legitima secundùm iura, vtpote connaturalis quodammodò vniuersis, ac proinde potiùs dici debet æmulatio, quàm inimicitia, quia semper Regna, Prouinciæ, ac ciuitates illos populos magis æmulantur naturali quadam appetentia se ostēdendi fortiores, aut vrbaniores &c. qui sibi viciniores, ac propinquiores sunt. Vel de infensione particulari, qua nimirùm vnum Regnum cōtra alterum pugnauit, & se illi in omnibus aduersarium ostendit. Hæc quidem infensio, seu aduersio licèt aliquando inducere possit suspicionem, non tamen semper. Ratio verò est, quia ad hoc, vt inimicitia, seu aduersio inducat suspicionem, debet esse capitalis, & de præsenti, siue actualis, non autem de tempore antiquo.

75. Vnde in nostro casu consideranda est inimicitia, quam hic tuus Doctor dicit Regnum Lusitanum aduersus Castellanos illo tempore habuisse. Hæc sanè si qua olim extitisset, dicto tempore, videlicèt

Philippi

Philippi Secundi, ita ſuppreſſa, & obliterata erat , vt immeritò dici poſſet inimicitia, imò inter dicta Regna, vera , & coniunctiſſima intercedebat amicitia, à tempore enim Ioannis Secundi , & Ferdinandi Catholici, Luſitaniæ , & Caſtellæ Regum, ſumma, ac veriſſima pax fuerat ſtabilita , & firmata inter vtroſque Reges , & Regna , quæ quidem reciprocis matrimoniis non ſolum inter ipſos Reges , ac Principes vtriuſque Coronæ , ſed etiam inter vaſallos nobiliſſimos , nobiles , ac etiam plebeos frequenter celebratis confirmata , & obſeruata fuit vſque ad annum 1580. in quo Philippus nulla interueniente cauſa, ſeu ratione, imò contra iura humana, ac etiam Diuina, Luſitaniam ſuis armis inuaſit , & occupauit ; durantéque dicto pacis tempore per integrum ſæculum , in toto illo tum Caſtellani in Luſitania , tum Luſitani in Caſtella , præſertim ex illis , quos Principes ſecum duxerant , cum præfata matrimonia celebrarunt , non contemnendis fungebantur muneribus , maximè in ipſis Palatiis Regalibus. Quis ergo non ſolum temerariè , ſed etiam mendaciter, dicto Philippi tempore Luſitanum Regnum

gnum Castellanis esse infensum, nisi passione cæcus pronunciare audebit;ac proinde non ex æquitate, sed ex inimicitia, fore iudicaturum?

76. Confirmatur euidenter, quia licèt olim inter vtramque Coronam plura, ac varia bella extitissent, omnia ferè ex parte Lusitanorum fuêre defensiua: bellum autem defensiuum, cum semper, vel quasi semper sit iustum, non indicat inimicitiam ex parte eorum, qui se defendunt, imò vtplurimùm ex parte oppugnantium, seu offendentium comprobatur, vt benè præponderauit D. Hernandus de Molina, & Saauedra referens plura, ac eorum caussas, & motiua; ex quibus indubitanter colligit non Lusitanos Castellanis, sed Castellanos Lusitanis nocentes, ac inimicos se semper præstitisse: illosque semper odisse, præsertim quia, in præfatis bellis, quasi semper, Lusitani victores euaserunt.

77. Confirmatur etiam ex confessione tui amicissimi D. Nicolai Fernandez de Castro, qui in suo fatali volumine o. ad sui Regis iura confirmanda pro indubitato affirmat, quòd non solum Rex Henricus,

o. epist. apolog. ad Philippum quartū.

dum viueret, ſed etiam ex tribus Regni ſtatibus duo, Eccleſiaſticus nimirum, & Nobilitas, ita Philippi iuſtitiæ affecti erant, pro illaque ſtabant, vt in ſecundis Regni Comitiis generalibus, in quibus agebatur de publicando ſucceſſore, præfati duo Status manum ipſius Henrici ſint deoſculati, quia cognouerunt in eo intentionem declarandi Philippum ſuum ſucceſſorem. Ergo ſi Philippus habebat pro ſe, & ſuo iure ex tribus Statibus duos præcipuos, falsò aſſeuerat tuus doctiſſimus Hurtadus, illum, Luſitaniam ſuis armis occupaſſe inexpectata Regni ſententia, quia ipſum vniuerſum Caſtellanis infenſum, iudicaturum erat non ex æquitate, ſed inimicitia. Quomodo vniuerſum Regnum, ſi duæ partes, imò & ipſe Rex Henricus, per veſtrum Doctorem, & defenſorem, Philippo fauebant; & illa tertia, vtpotè popularis ex ſua natura mobilis, ac volubilis, facillimè, vt ſolet, cum aliis conformaretur? Vnde iam ex hoc primo fundamento huius tui Doctoris, nihil in fauorem tui Regis conuincere poteris, imò contra ipſum (vt vidiſti) apertè conuicimus: ſi enim propter inimicitiam tantùm,

tùm, vt dicit argumentum Hurtadi, noluit, nec tenebatur ſtare iudicio Regni, vtpotè ſibi infenſi, cùm probatum ſit nullam tunc temporis eſſe, nec poſſe eſſe, inimicitiam inter illa Regna ſufficientem ad inducendam ſuſpicionem; imò per veſtrum Doctorem manifeſtè conſtet, Philippum duos Regni ſtatus habere pro ſe in illa controuerſia, corruit omnino præfatum ſuſpicionis fundamentum; ac proinde niſi alia interueniſſet cauſa, debuiſſe ſe ſubmittere iudicio Regni.

78. Præuidens igitur, vt præſumendum eſt de homine àliàs docto, nihil ex præfato inimicitiæ fundamento colligi poſſe contra Regni iudicium, ad aliud confugit, proponens quæſtionem abſolutè, quando ſcilicet nullum eſt probabile argumentum de inclinatione Regni in partem alterutram, ſed potiùs de æquitate. Et in hoc ſenſu dicit *ſe exiſtimare, poſſe Regem ſuo ſtare iudicio, nec teneri ad expectandam Regni ſententiam*. Quod probat primò authoritate, deinde ratione, vtroque tamen modo ineptè, indiſcretè, ac ſine fundamento; Nã quoad authoritatem citat pro ſua exiſtimatione P. Molinã diſputatione à nobis ſupra citata. §.

quando inter duas Respublicas; vbi d. Molina contrarium omninò docet, vt ostendimus supra p. Et licèt §. *Aduerte tamen.* neget supremum Principem teneri expectare Regni sententiam, præsupponit tamen cōtrouersiam successionis Lusitaniæ agitari inter Philippum, & Rempublicam, in quo fallebatur, vt euidenter monstrauimus q. Citat etiam pro eadem P. Suarez, de cuius sententia, ac mente plura diximus r. ex quibus veritas satis superque constat.

p. *n.* 37. *cū seqq.*

q *suprà n.* 37.

r *suprà à n.* 44. *cū sequent.*

79. Aduerte autem (R. P.) antequam examinemus probationem huius opinionis seu existimationis tui Doctoris, illam duplicem continere partem: alteram nimirùm posse Principem suo stare iudicio: alteram non teneri ad expectandum Regni sententiā. Et quamuis ex prima sequatur secunda, quia qui suo potest stare iudicio, non tenetur subiici alieno; non tamen ex secunda infertur prima, quia potest non teneri expectare sententiam alterius, non tamen inde sequitur posse suo stare iudicio, vt docent citati Doctores. Nam Molina in illo casu vult, vt Principes contendentes, cum neuter propter suam superioritatem alteri subiici teneatur, non pos-

sint

ſint cogi ad ſtandum ſententiæ ſeu iudicio vel Regni; vel vnus adinuicem iudicio alterius; imo apertè docet in eo caſu debere vtrumque litem tranſactione componere; vel Iudices arbitros eligere, quorum iudicio ſtare teneantur, quando in examine cauſæ vtrinque diſcordant. Suarez verò, vt diximus loco ſuprà citato, primò recurrit ad arbitros; ſed quia putat hoc mediũ eſſe rariſſimũ, eo quòd Principes ſæpiſſimè habeant ſuſpectos iudices extraneos, concedit, vt poſſint ſuum ius expendere, non per ſe, ſed per prudentes, ac doctos viros: vnde nunquam ſecundum ipſius mentem poterit Princeps aliquis ſuo ſtare iudicio, & in eo cauſam ſententiare, licèt poſſit iudicium peritorum (ſi per illud ſibi ſatis conſtat de iure ſuo) executioni demandare. Conſtare autem ſatis de iure, idem eſt, vt ſupra aduertimus, atque ius eſſe euidens, ſeu apertum; & in hoc caſu, vt infra dicemus, & iam ſupra innuimus, poteſt ſupremus Princeps rem, quæ controuertitur, occupare, non expectans alicuius iudicis ſententiam. *ſn 49.*

80. Ad probationem præfatæ opinionis deueniens hoc format argumentum: *Rex*

habet in Regnum dominium supremum : ergo non subiicitur Regno in disceptatione: quia caput non tenetur subiici membris cæteris , & totum Regnum est subiectum Regi , Rex autem Regno minimè. Videas precor (R.P.) huius tui Doctoris ignorantiam, diuertitur enim ad probandam sui enthymematis consequentiam , quæ, si antecedens esset verum , nulla indigeret probatione, necessariò quippe sequebatur : at de antecedenti, quod omninò erat probandum , vt ex eo consequentia posset inferri; nihil penitùs dicit, suo bono iudicio supponens esse verissimum , tanquam principium per se notum , quod probatione non eget. Quis tibi (amice Hurtade) reuelauit tuum Philippum tunc temporis in Regnum Lusitanum supremum habuisse dominium, cùm adhuc nullum agnosceret Regem, imò cuius successio inter tot Principes adeò erat controuersa, vt nullus ad eam euidens habuisset ius , licèt vnusquisque nonnullos Doctores , & aliqua fundamenta. Quare igitur (dicas mihi ingenuè) magis de illo, quàm de quolibet alio dici poterat in Regnum Lusitanum supremum habuisse dominium ? Vnde cùm nec ille , nec cæteri

prætep

prætendentes in poſſeſſione dicti Regni eſſent, dicendum omnino eſt nullum eorum habuiſſe, ſed tantummodo prætendiſſe præfatum dominium: ac conſequenter omnes debuiſſe ſe ſubiicere vel Regni, vel arbitrorum iudicio, qui cauſam finaliter deciderēt.

81. Tandem ad aliud confugit fundamentum præteritis non abſimile: intendit enim probare ex eo, quòd Princeps in iure euidenti, ſeu aperto (vt ipſe loquitur) non tenetur expectare Regni ſententiam, non teneri etiam in iure probabili. Hanc conſequentiam ita probat. *Ideo in iure euidenti poteſt Princeps Regnum, de quo eſt controuerſia, occupare, quia ipſe eſt Dominus ſupremus; ſed in iure probabili eſt etiam dominus ſupremus in ſua prudenti æſtimatione: ergo poteſt ſe gerere vt dominus ſupremus.* Vnde ſequitur poſſe tanquam Regem occupare Regnum, licèt ille hanc ſequelam non explicet, quæ tamen neceſſariò ſubinfertur.

82. Reſpondeo primò ex hac mala doctrina, ſeu potiùs falſa opinione, ſequi neceſſariò illud maximum abſurdum, quod ſupra oſtendimus reſpondentes ſecundæ concluſioni P. Suarez [t]. nimirum, quòd, cùm non detur maior ratio pro vno, quam [t] *nu. 49.*

pro altero, quando plures sunt prætendentes, vnusquisque habens pro se opinionem, seu ius probabile, in sua prudenti æstimatione, esset Dominus supremus, possetque se talem ostendere, & consequenter vi, & armis Regnum occupare: dareturque bellum iustum ex parte omnium, contra veram Theologiam, quæ docet non posse dari bellum ex vtrâque parte iustum, nisi interueniente ex aliqua, ignorantia inuincibili, quę in hoc casu dari non potest, quia quilibet contendentium fundaret illud in sua prudenti æstimatione, & non est maior ratio ad valorem pro vno, quàm pro alio. Vnde nemo eorum, qui similem controuersiam vsque ad præsens agitarũt, talem opinionem excogitauit, nisi ille P. Luisius, quem ipse citans, affirmat dixisse eam esse communem his temporibus; ego dictum Patrẽ non vidi, quia illum non inueni, possum tamen maiori veritate affirmare, nulli ex antiquis Doctoribus, nec etiam ex modernis, non solùm communem, sed nec somniatam quidem esse, nisi forsan aliquibus Castellanis, qui hac nouella suo Regi assentari studuerunt. Sicque Omnes diuersis viis dictam controuersiam resoluerunt; quidam

dam ad Regni iudicium recurrentes; alij ad arbitros; alij ad Iurisprudentes, alij ad transactionem, vel recompensationem, alij denique ad diuisionem secundùm maiorem, vel minorem iuris probabilitatem. Nullúsque ausus est dicere sola opinione probabili posse Principem Regnum, de quo cum alio, vel aliis contendit, suis armis occupare; imò aliqui talem doctrinam erroris censura inurunt, vt infra dicemus.

83. Secundò specificè respondentes ad rationem, qua ignoranter nititur suam probare consequentiam: negamus ideo Principem in iure euidenti posse Regnũ, de quo est controuersia, suis armis occupare, quia est Dominus supremus illius, non enim talis potestas illi prouenit à dominio, quod nondum habet, sed ab euidentia iuris, quam habet ad dictum dominium, qua supposita ipsi fit iniurìa, si non sinitur Regnum accipere; quam quidẽ suis armis vindicare potest, cum non habeat superiorem, apud quem iustàm vindictam postulet. Huius euidentissima est ratio, quia facta rerum diuisione, iure ipso naturali mansit penes supremos Principes ius belli, quod in eo consistit, vt manifestam iniuriam sibi ab

alio inferendam propulſare, aut illatam vindicare ſuis armis poſſint. Ratio autem ob quam tale ius manſerit penes ſupremos Principes manifeſta eſt, nam ſi tale ius penes ipſos non eſſet, apud nullum alium eſſe poſſet, cum nullus alius haberet in ſupremos Principes iuriſdictionem, & poteſtatem, atque ſine remedio manere in hac vita contra iniurias illatas, maximum eſſet incommodum: ergo ratio ipſa naturalis dictat hanc poteſtatem penès ipſos Principes manere. Quis autem vnquam dubitauit, tunc aliquem Principem iniuriam pati, quando non ſinitur accipere Regnum, ad quod ius euidens, & ſine controuerſia habet. Hæc eſt communis, & vniuerſalis doctrina circa poteſtatem indicendi, ſeu mouendi bellum ab vno Principe contra aliũ, & non illa, quam iſte tuus Doctor propoſuit in ſuo argumento: Vnde cum ipſe fateatur, aut ſaltem ſupponat ſuum Philippum non habuiſſe ad Regnum Luſitanum ius euidens, ſed ſolum probabile, manifeſtè conuincitur non potuiſſe ſuis armis illud occupare, conſequentérque non eſſe Dominum illius, quamuis ſe talem in ſua æſtimatione repræſentaſſet. Deinde ſi propter

pter iniuriam ſibi illatam, vel inferendam poteſt vnus Princeps aliis bellum inferre, & non propter ſuam ſuperioritatem tantùm, vt hic tuus Doctor falsò ſupponit, quis dicere poteſt illos alios Principes, qui ius etiam probabile ad Regnum habebant, ipſi iniuriam intuliſſe, propterea quod illi ſpontaneè Regnum non tradiderunt, ſeu ſuis iuribus non ceſſerunt? quomodò ergo contra illos, & contra ipſum Regnum tuta conſcientia arma ſumere poterat? quomodo Antonium Rebellem declarauit? cæteraque peregit, quæ ex veſtris Hiſtoriographis toti orbi innotuerunt? Certum eſt (R.P.) te, tuóſque Doctores in iſta cauſa agitanda, ſeu potiùs pro veſtro Philippo, defenſanda, vtroque pede (ne dicam mente) claudicare.

84. Tandem concludis (R.P.) quòd *præter Doctores citatos* (ſunt Arriaga, Bardi, & Hurtadus de Mendoza) & alios Hiſpanos, quos ex induſtria relinquis, pro certo iure Philippi Secundi in ſucceſſione Regni Portugalliæ, videatur ex Italis Martha u. Borellus x. Viperanus y. ex Germanis Beſoldus z. Ex iſtis igitur Martha *de iuriſdictione* à Summis Pontificibus

u *de iuriſdict. p.1. c.26. n.100.*
x *de præſtantia Regis Cathol. cap.46. num.20.*
y *cõmẽt. de obtẽta Portug.*
z *diſp. de regia ſucceſſ. diſſert. 12. theſi 9. & 10.*

Pontificibus prohibitus eſt; vnde eum inuenire non potui, & quamuis illum inueniſſem, ſicut tu non debebas allegare pro tui Regis iure Authorem prohibitum, ſic ego non debebam illi reſpondere; præſertim, quia forſan idem iudicium ſit de illo faciendum, atque de duobus ſequentibus. Borellus enim (miſſo quòd ſit vaſſallus tui Regis, ſicut & Martha) nihil omninò ſuper Philippi iure dicit, ſed nudam hiſtoriam tantummodò narrat ſequentibus verbis. *Cuius tempore introducta eſt controuerſia magna ſucceſsionis. Concurrentes fuêre Raynutius Farneſius Parmæ, & Placentiæ Dux, filius Mariæ, quæ erat filia Odoardi, filij Emmanuelis Regis Luſitaniæ. Catharina Brangantiæ Duciſſa, quæ erat eiuſdem Odoardi filia. Antonius Prior Crati, filius naturalis Ludouici, filij eiuſdem Emmanuelis: ac Philippus Rex Catholicus, filius Iſabellæ, filiæ eiuſdem Emmanuelis Regis. Quo in negotio grauiſsimi omnium prætendentium Iuriſconſulti conſuluere: & tamen deciſio ceſsit ad fauorem Regis Catholici: quieuerunt etiam Raynutius, & Catharina, non autem quieuit Antonius.* Hæc Borellus: de iure autem certo, vel incerto, nec vnum quidem verbum. Quomodo ergo (R. P.)

qua

quáve fronte, in tuis ſcriptis, quæ poſtea negare non poteras, illum pro certo iure tui Philippi allegas? Nonne erubuiſti vir tantæ authoritatis, ac æſtimationis (licèt apud imperitos) pro iure tui Regis allegare Authorem, qui de tali iure nihil diſſeruit? Attamen non admiror fiduciam tuam, imitaris enim Caſtellanos tuos, quos ſimilia ſimiliter ſcribere non pudet. Minus etiã Joannes Antonius Viperanus, qui Hiſtoriam ſolummodò, ac ſtylo hiſtorico ſcripſit, de iure mentionem aliquam non fecit. Quid ergo illum allegas pro tui Regis certiſſimo iure? Indelebile ſanè commiſſum in authoribus claſſicis mendaciter alios allegare, imponeréque illis quod nec ſomniando dixere. Ad id quod addis de tuo Beſoldo, nihil reſpondendum duxi: cum enim ſolum agat de inualiditate repræſentationis, te, & lectorem ad Doctores Valaſcum, Souſam de Macedo, Morellum, & alios plures, qui de ea diffusè tractauerunt, remitto; non quippè mea intereſt de illa in hac admonitione agere.

85. Ecce iam vidiſti (R. P.) niſi velis, vt de te meritò dicamus, quod Regius Pſal-

tes

tes de Gentium simulacris, habent enim oculos, sed non vident, verum, legitimum, ac priuatiuum successionis Coronæ Lusitanæ iudicem, quando Henrici Regis obitu vacauit, ipsummet Regnum esse debuisse. Similiter etiam tuos Doctores, tum modernos, tum antiquiores, quos tu, ac iuniores Castellani contra solidam, firmámque ac verissimam P. Vasquez sententiam adducitis, nihil omninò in contrarium euincere, imò nec aliquo modo ipsius fundamentalibus rationibus respondere. Superest igitur decidendum, vt Complutensium responsa omninò confutemus, ac ipsorum ineptiam ostendamus, quinam esse debuerint illi, qui nomine, & authoritate Regni præfatam controuersiam essent iudicaturi: In quo quidem dubio P. Vasquez, generaliter loquendo, docet, & rectè, *debere eos esse, qui post mortem Regis ex electione ciuitatum habent ius gubernandi.* Qua quidem doctrina, seu fundamento abutentes iuniores Castellani, tandem post multa, quæ in sui Regis fauorem indigestè, seu veriùs confusè congerunt: quoddam assertum decretum producunt, datum in Castro Marino à tribus Gubernatori

natoribus, ex quinque, qui poſt Henrici obitum Regnum gubernabant ex electione ciuitatum, vt dicit Pater Vaſquez: illúdque ſententiam appellant, cum eſſet tantummodo quædam teſtificatio mentis, ſeu voluntatis dicti Regis Henrici, vt apertè, ac diffusè fatentur veſter Coneſtagius [a], & tuus amiciſſimus D. Nicolaus Fernandez de Caſtro, qui quandam illius copiam (ſi veridica eſt) in ſuo fatali volumine adducit [b].

a lib. 5. fol. mihi 253.

b p. 3. c. 6. ſect. 1.

86. Attamen in caſu noſtro, ad præfatos Gubernatores, etiamſi omnes quinque vnanimi conſenſu conueniſſent, non pertinebat dicta deciſio. Nam Henricus in primis Comitiis generalibus, poſt ſuam ad Coronam aſſumptionem, voluit deputare aliquot iudices, qui ſucceſſionis cauſam deciderent, ac finaliter ſententiarent, ſi eueniſſet, quòd ipſe in vita ſua eam diffinire non poſſet: Regnum tamen, vt erat congregatum, noluit illi hanc concedere facultatem, ſed tantummodò conuenerunt, vt Comitia viginti quatuor eligerent perſonas, ex quibus Rex vndecim approbaret,

baret, quibus ex tunc ſuam commiſerunt authoritatem, vt nomine Regni in eo caſu controuerſiam inter omnes prætendentes finaliter dirimerent, illique Regnum adiudicarent, ad quem de iure pertinere reperiſſent. Hæc omnia expreſſis verbis refert veſter Coneſtagius c. Veruntamen addit, *hoc, maximè à Caſtellanis, craſsiſsimum fuiſſe iudicatum errorem, quia oſtendebat Rex neſcire omninò, iuriſdictionem Regiam ipſius vita penitus finiri; vnde videbatur illa nominatione velle etiam poſt mortem regnare.*

c lib. 3. fol. mihi 110.

87. Si Coneſtagius ex ſua mente hanc oppoſuit obiectionem, ignoranter fecit: ſi, tanquam à Caſtellanis oppoſitam, illam retulit; ipſi non ignorantia tantùm, ſed paſſione etiam ſunt decepti. Ratio eſt euidens: Henricus namque non authoritate propria præfatos vndecim iudices nominauit, ſed Regnum legitimè congregatum, quod quidem illis authoritatem ſuam ex tunc commiſit pro illo tempore, quo neceſſarium eſſet illa vti, ſi caſus occurriſſet, videlicèt, ſi Rex ante cauſæ deciſionem obiiſſet: & in ſui Regis obſequium illi conceſſit, vt ex viginti quatuor à ſe electis vndecim

decim nominare, ſeu eligere poſſet: quod quidem non erat velle poſt mortem regnare, cum ab ipſo nominati, ſeu electi, non authoritate ab eodem commiſſa, ſed à Regno iudicare deberent. Vnde, cùm præfata poteſtas illis conferretur ab habentibus authoritatem illam conferendi, ac in tempore habili, quia Regni Ordines, qui illam contulerunt, legitimè erant congregati; & in tempore etiam habili illam debebant exercere, nam poſt Regis obitum, non ipſius Regis authoritate, ſed Regni, quod tunc temporis ſupremam habebat iuriſdictionem, controuerſia erat decidenda: benè concluditur non fuiſſe errorem, ſed prudentiſſimam præuentionem præfatos iudices ſupradicto modo nominare, ſeu eligere.

88. Itaque ſecundum omne ius, iſti vndecim iudices præfatam ſucceſſionis cauſam finaliter ſententiare debebant, Regnumque illi adiudicare, cui de iure competere inueniſſent. Sed miror ſanè, vt prudenter ponderauit Morellus [d], non minus Luſitanos, quàm Caſtellanos. Hos quidem, quia cum ſuum Coneſtagium legiſſent, & in comprobanda ipſius hiſtoriæ ve-

d 1. p. n. 45.

ritate non parum insudassent, nihilominus nullam de iudicibus illis mentionem facientes, tanquam firmissimum in sui Regis fauorem fundamentum, præassertam Gubernatorum sententiam mundo offerant; cum nec sententia sit, sed certificatio, seu potiùs testificatio quædam mentis, aut intentionis Regis Henrici circa Philippi ius, ab ipsis tribus tantummodo indiuinatæ: nec illi authoritatem aliquam habuissent ad illam proferendam, quia, vt iam monstrauimus, non illis, etsi omnes quinque concurrissent, sed istis vndecim iudicibus decidendi causam potestas à Regno fuit commissa. Illos etiam, quia tempus, & studia sine necessitate consumpserunt in somniata sententia infirmanda, allegantes non ab omnibus quinque Gubernatoribus fuisse prolatam, nec in Regno, sed in Ayamonte, vt saltem probabiliter deducit citatus Morellus: nec ad requisitionem iuridicam ex parte Philippi, nec auditis partibus prætendentibus: & alia similia; quæ omnia superflua, & inutilia proculdubio erant, stante facti veritate, ex quo constat euidentissimè præfatos Gubernatores nullam habuisse iurisdictionem

nem ad ſucceſſionis controuerſiam decidendam : quippe quòd nec à Rege, nec à Regno aliqua fuerit illis ad dictum effectum conceſſa, ſed priuatiuè dictis vndecim iudicibus, quorum iudicio tum Philippus, tum cæteri prætendentes ſtare debebant, non ſubiicientes illis perſonas ſuas, vt malè aliqui exiſtimarunt, vnde prætendunt Principes ſupremos à iudicio coërcitiuo eximere omninò; ſed tantummodò cauſam quæ inter ipſos controuertebatur; ex qua ſubiectione nihil contra illorum ſuperioritatem redundabat, vt infra clariùs demonſtrabimus. Vnde immeritò præfati iudices à Complutenſibus reiiciebantur. Si enim ad Regnum pertinebat cauſam decidere, vt latè oſtendimus, & illud præfatos iudices elegit, eiſque ſuam commiſit authoritatem ad illam iudicandam, quis ſanus mente eos veros, ac legitimos iudices negare potuiſſet? Cumque tuus Rex (R.P.) illos noluiſſet agnoſcere, armíſque ſuis inexpectatâ ipſorum ſententiâ Regnum inuaſiſſet, violentérque occupaſſet; cur (quæſo) non ſit dicendus tyrannus titulo illius Regni? Calamus tuus (ne dicã, manus, & lingua) potiore

iure, ac ratione, quàm Lusitanorum verba; ardenti cauterio inuri merebatur: Et occasione huius tuæ sententiæ, quam passione ductus, non verò ratione, ignoranter (ne dicam audacter) in Lusitanorum verba tulisti, te amicabiliter moneo, nec licitum, nec decens; imò vituperosum, & scandalosum valde esse, Religiosum hominem, maximè tantæ, tamque notæ authoritatis, in similia verba prorumpere, præsertim in scriptis, quę per vniuersum Orbem diuulgari debebant. Si Lusitani (R. P.) in vna maxilla te percussissent, alterā iuxta Domini Saluatoris consilium illis præbere debuisses: quomodo ergo, si te nec percusserūt, nec in minimo offenderunt, postquam candenti calamo eos percussisti, non tamen satisfactus, ardenti vis cauterio inurere? Si tuum Regem illi offenderunt, iniuriámque ipsi fecerunt, eximentes se ab eius dominio, ac suum legitimum Principem acclamantes, non tua, sed eius interest vindictam de illis, armis suis sumere; soli enim supremo Principi offensam sibi illatam vindicare permittunt iura, vt supra ostendimus; te autem tanquam verum Religiosum, Deique seruum, ac ministrum, tantummodò

pro

pro omnibus orare decebat, precésque supplices, ac humiles ad ipsum Deum continuò fundere, vt illam, quam mundus dare non potest, pacem, sua misericordia, ac benignitate propitius in Christianos Principes mittat; non verò instar cuiuslibet obscœnæ mulierculæ audaci libertate magis, quàm necessitate calamum, ac linguam soluere. *Si non potuisti sine stomacho audire & legere, Lusitanos tuum Augustissimum Regem deposuisse tanquam titulo, & exercitio Tyrannum:* Cur non accinctus gladio, apprehenso scuto, hastam vibrans in prælium audaciter processisti, vt de illis atrocem sumeres vindictam? Respondes, & religiosè quidem, non fas esse viro Religioso, licèt Regi suo addictissimo, ad arma, ac prælia prosilire: insurgo tamen, minus equidem sanè in acerba, ac probrosa verba prorumpere; nam hoc nunquam virum decet Religiosum; illud verò poterit, saltem in aliquo casu esse licitum.

89. Insuper: si tu (R.P.) sacræ tuæ Religionis verus filius esses, Iesuitarum, quos in tuæ Minoris confirmationem glorianter adduxisti, vanè te iactans, quod alterum

illorum primus adduxeris, verborum modestiam, ac compositionem imitari deberes; nihil enim contra personas vociferantes, de sui Regis iure, siue benè, siue malè tantummodò tractarunt, prudenter quippe aduerterunt Ordinis sui conseruationem non minus à Lusitano, quàm à Castellano Rege in illis Regnis dependere: & ideo, etsi huius vassalli, illum scandalizare noluerunt. Tu verò, communi postposito bono, Regi tuo assentari indiscretè exoptás oblitus penitùs es quanto honore, quanta beneuolentia, amore, ac pietate, Ordinis tui Patres (forsan contra multorũ illius Regni Procerum sẽsum, & opinionem) à Serenissimo Rege Ioanne recepti, & admissi fuerint: quod tamen vestri, seu vestrum Philipporum tẽpore minimè obtinere potuistis: in quorum recompensationem, ac debitam gratitudinem, Tu ardenti cauterio Lusitanos inurendos diffinis: & vester Generalis Chronographus D. Ioseph Silus Bitontinus in suis Iconibus poëticis à vestro Generali ac duobus aliis Theologis eiusdem Ordinis reuisis, & approbatis. e. Serenissimũ Regem Ioannẽ *sceptri prædatotẽ Iberi* impudẽter appellat: de Episcopo autẽ Lamæcẽsi præfati Regis ad Pontificem Oratore improbè (ne

e. excusis Romæ anno 1650. Icon. 1. lib. 3.

dicā inuerecūndè) profert, fœlicis recordationis Vrbanū Octauū *diuite manu, & gēma Eritrea* corrūpere intētasse. Deinde eadem libertate, vel potius dementia, seu insania, de præfato Serenissimo Rege Ioanne prosequitur, quòd licet *alto elatus solio in Regem cunserit, non sua sceptra regit.* Additque *Regnum sub pulchro nomine, quòd esset suorum Auorum, rapuisse, illo atrox hoc facinus perungens.* Ac tandem concludit *violenta Regna haud diu durare posse.* Vnde ipsū Serenissimum Regem inuerecundè monet, vel etiam minitatur vt *sceptro, & capiti caueat suo.* Quid ingratius? Quid dementius? seu veriùs quid insanius? Sic Reuerendi Patres Theatini, tot beneficiorū meministis, quot larga, imò profusa manu ab illo Serenissimo Rege vester Ordo accepit? Si, quando illum in Lusitania fūdare nitemini, ipsi Regi, quinimo & toti Regno accepta beneficia rependitis: quid (dicite mihi) postquam illum dilataueritis, vt intentatis, vsque ad Indos, de vobis & Rex, & Regnum expectare poterunt? Caue, Serenissime Princeps, caue iterum, atque iterum dico, ac precor, cauete etiam Vos, ô Lusitani omnes, qui vestro Regi, ac Regno fideles

eſtis, ab iſtis, qui ad vos venerunt in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: obſeruantes prudenter illos omnes, vel quaſi omnes, qui à ſuis Superioribus in Luſitaniam miſſi fuerunt, Caſtellæ Regis ſubditos, ſeu vaſſallos eſſe: & cùm tales ſint, ſagaciter ab illis inquirite, cur tempore ſui Regis præfatam miſſionem non intentarunt: & ex ipſorum reſponſo, ſi cautè aduerteritis, facilè, vt puto, vobis innoteſcet, quòd lateat anguis in herba.

90. Reuertentes autem vnde digreſſi ſumus, immeritò etiam, & falsò excludebant Complutenſes quoſcumque arbitros ex eo tantùm, quòd cauſa non eſſet dubia, quia, vt non ſemel in iſta admonitione oſtendimus, non ſolùm dubia ſimpliciter, ſed valdè dubia erat: qua dubietate poſita, Molina, Nauarrus, Suarez, locis citatis, & omnes ferè Doctores claſſici apertè docent in dicto caſu recurrendum eſſe ad arbitros: & ſimiliter illi, qui nobiſcum ſentiunt deciſionem cauſæ ad Regnum pertinere; quando nimirùm omnes illius iudices fuerint ſuſpecti; vnde apertè

patet

patet iniuſtè Complutenſes omnes arbitros excludere.

91. Ad alia, quæ addebant non poſſe nempè offendi perſonam Regis, quin dignitas læderetur. Et iuris deciſiones, quæ diſponunt rem iudicari debere, vbi eſt; loqui tantummodò de perſonis particularibus, quæ habent ſuperiores iudices, non verò de Pontentatibus Supremis; optimè ſatisfecit citatus Morellus, ad quem te, & lectorem remitto, parui enim ſunt momenti Complutenſium rationes: vt videre etiam poteritis apud Vaſquez citato capite tertio, numero decimo octauo.

92. Diſcuſſa iam, etſi diffusè, neceſſariò tamen, examinataque Complutenſium reſponſione, circa primum articulum ſibi à Rege Philippo propoſitum: ad examen reſponſionis ad ſecundum deuenientes; illam iuxta veſtri Coneſtagij veritatem primùm proponere neceſſarium duximus. *Repetebant* (inquit) *plura ex iis, quæ ad primum reſponderant: affirmantes inſuper ad aliud non teneri ſuum Regem, niſi ad manifeſtandum Gubernatoribus titulos, & rationes, quas ad illius Coronæ ſucceſſionem habebat, ac ſi non obſtante dicta manifeſtatione reſiſtere vellent, ipſique*

que negare possessionem propria authoritate posse illam sumere, etiam armorum vi, si opus esset: qui in dicto casu non vis dici posset, sed naturalis defensio illius Regni, quod ad se omni iure pertinebat, essetque iusta vindicta, & supplicium rebellium.

93. Hæc secunda responsio, vt iam vides, maiori ex parte refutata est, & falsitatis conuicta ex iis, quæ in prioris examine, & confutatione discussimus. Si enim Philippus iudicio Regni stare, seu in arbitros conuenire tenebatur, vt ibidẽ ostendimus, manifestè conuincitur, non potuisse ante ipsorum sententiam Regnum suis armis occupare. Attamen, quia tuus Stephanus Spinola iuxta tuam fidem, (ego enim illum nõ inueni, vt supra dixi) Regnum quod possessione caret, posse à quolibet probabilem opinionem habente armis occupari firmauit, aliquid contra hunc manifestum errorem hîc inserere necessarium omnino duxi.

94. Quod igitur talis sit, saltem in casu nostro, euidenter conuincitur. Attamen vt manifestiùs constet, breuiter agitabimus præfatam quæstionem. *Vtrum scilicèt aliquis Princeps absolutus, sola opinione probabili pro suo iure, Regnũ, de quo cum alio, seu aliis conten*

contendit, armis, ac vi sibi occupare valeat? Cuius quidem pars negatiua, licèt ex supradictis, maximè in examine eorum, quæ contra authoritatem Regni ab aduersariis opponebantur, satis superque constet; attamẽ, vt abundantius affirmatiua, tanquam improbabilis reiiciatur, aliquid addere opus esse iudicauimus.

95. In primis igitur considerandum, atque discutiendũ est, quid in hac quęstione dicãt illi Doctores, cuius authoritatem nobis obiiciunt moderniores Castellani. Primarij sũt Victoria, & Nauarrus locis suprà citatis, sed, vt ibidem ostendimus, immeritò sanè. Nam Victoria, vt constat ex suismet verbis, suprà fideliter relatis, expressè docet, quando vterque Princeps nõ potest certũ aliquid de suo iure scire, quod idem est, atq; habere de illo probabilem opinionem tantùm, nõ esse iustam causam belli, si alter velit componere, vel diuidere, aut compensare pro parte, etiam si sit potentior, & possit totum armis suis occupare. Et licèt ex verbis istis inferatur non absolutè, sed solùm in hoc casu negare alteri, iustã causam belli Principi quando nimirùm alter velit componere, diuidere, seu cõpẽsare; tamẽ numero antecedẽti, tali

apertissimè probat in causa dubia (hoc est in iure probabili) tali Principi minimè licere, rem, de qua est controuersia, armis occupare: sic namque argumentatur. *Si in causa dubia licet vni armis petere: ergo alteri defendere: & postquam vnus recuperasset, posset iterum alter reposcere; & sic nunquam esset finis bellorum cum pernicie, & calamitate populorum.* Mitto alias dicti Doctoris probationes, quibus vtitur ad impugnandam oppositam opinionem, quia infra sunt adducendæ. Vndè, vt supra dixi, immeritò pro parte affirmatiua allegatur, cum contrariam omninò defendat.

96. Nauarrus verò, etsi (meo quidem iudicio, vt iam bis dixi) ad controuersiam inter Reges Hispaniæ, & Galliæ super Regno Nauarræ alludat, in causa dubia, hoc est, quando vterque Princeps pro suo iure opinionem probabilem habet, apertè docet teneri ab inuicem sub mortali in arbitros suspicione carentes conuenire, aut petere, vel accipere conditiones honestas, quibus pax firma fiat, vt supra ostendimus f. Verum est tamen, vt Vasquez rectè
f n.42. præponderauit, quòd ex eo, quòd Supremos Principes à iudicio coactiuo omnino eximat,

eximat, colligi poteſt mentem ipſius eſſe in cauſa dubia poſſe Principem per ſe ipſum, aut ſaltem per Doctores ſuos ius ſuũ expendere, &, ſi opus fuerit, ſuis armis exequi, niſi aliunde obſtaret, nempè quia per ſtrages inter Chriſtianos, Turcis fieret copia inuadendi quod reliquum eſt Chriſtiani orbis, vel bonam eius partem. Attamen quidquid de hac Nauarri ratione, & de eius mente ſit, certum omnino eſt iuxta ipſius verba, & doctrinam illis explicatam, non fuiſſe in ea ſententia, vt quilibet Princeps in cauſa dubia, hoc eſt, quando opinio eſt tantùm probabilis pro vtraque parte, rem, ſiue Regnum, de quo eſt controuerſia, ſuis armis occupare poſſet. Sit ratio talis ſententiæ iſta, vel illa contra nos nihil valet. Nam in caſu noſtro v. gr. poterat Rex Philippus iuxta ſuorum Theologorum ſententiam, non teneri ſtare judicio Regni Luſitani, non proinde tamen ſequebatur poſſe illud armis ſuis occupare: alio enim modo poterat dirimi controuerſia, conueniendo nimirum cum aliis prætendentibus in arbitros ſuſpicione carentes, vt fieri debere docent Nauarrus, Suarez, & alij, vel per tranſactionem, di-

uiſionem,

uisionem, seu recompensationem, vt tenent omnes illi Doctores, qui Supremos Principes à iudicio coëercitiuo eximunt. Quod quidē sæpissimè factum est, vt refert Hugo Grotius g. plura adducens Principum exēpla, qui ad bella vitanda in arbitros conuenêre: compensationémque fecerunt, vt temporibus nostris Henricus Quartus Galliæ Rex, & Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux, super Marchionatu de Saluzo contendentes. Vnde apertè patet, etiam Nauarrum immeritò citari pro parte affirmatiua propositæ quæstionis, videlicèt, quòd Princeps supremus, sola opinione probabili de suo iure, possit Regnum, seu rem, quæ controuertitur, suis armis, & vi occupare.

g de iure belli, & pacis lib. 2. c. 23. §. 8.

97. Citatur etiam Molina pro ista parte affirmatiua, & licèt suprà h ostendimus eum illam non tenere: apertè enim docet similem causam, & totum ius vtriusque partis vltro, citroque datis rationibus, & responsionibus, sine technis, fraudibus, ac dilationibus examinari debere, quo vsque verisimile sit, nihil plus lucis ea de re posse haberi; & si adhuc partes iudicio discordent, optimum esse consilium, vt litem transa-

h à n. 35. cū seqq.

ctione

ctione componerent, vel iudices eligerent arbitros, quorum iudicio starent, Quod quidem ex eo, quod prius dixerat [i], cuius verba [i] infrà afferemus, apertè confirmatur. Sed quia postea [k] addidit: *quamlibet partem litigantem aduersùs alteram esse supremum iudicem ea in parte, neque teneri cedere iuri suo: atque hac ratione posse esse bellum iustum ex vtraque parte.* Ideo aduertendum, ponderandúmque est, quod immediate adiungit, nimirùm: *Quamuis semper timendum sit ne saltem, pars altera sit in culpa, quòd non quantum oportet, aut non sine passione velit rem expendere, & examinare.* Ex quibus manifestè constat, quam difficilè sit, iuxta ipsius mentem, quamlibet partem ius suum, & alterius partis iustè examinare, vt debet, ad hoc vt tuta conscientia possit bellum alteri indicere. Quod confirmatur, quia in dicto casu non dicit Molina, probabili tantùm opinione posse vnum Principem aduersùs alterum arma sua mouere; sed (sunt formalia ipsius verba) *quando sibi persuaderet, rem absque vllo omninò dubio ad se pertinere; alterámque partem non sine culpa nòn velle à lite desistere, saltem, quia vel non quantum oportet, vel non sine passione vult rem expendere.* Quod idem

[i] *eadem disp. 103. §. in secũdo euẽtu.*
[k] *ibidẽ §. quando inter duas Resp.*

idem valet, atque quando ius suum esset certum, & euidens, saltem secundùm suam prudentem, ac indubitatam persuasionem, quin interueniat aliqua formido partis oppositæ. Vnde verè concluditur, nec etiam Molinam propositæ quæstionis affirmantem partem saltem absolutè fuisse sequutum. Citantur etiam pro eadem parte affirmatiua Bañez, Sayrus, Vincentius Candidus, Laymanus, ac Reginaldus locis infrà citandis: qui quidem omnes contrariam omninò tenuerunt, vt ex eorum verbis statim patebit: vndè meritò pro negatiua illos adducemus.

1 in. 2. 2. q. 40. art. 5.

98. Bañez igitur loco citato [1] ab aduersariis, apertè docet in causa dubia (hoc est quando vterque Princeps habet pro suo iure opinionem probabilem) non licere vni bellum alteri indicere Vnde respondens ad argumentum aliquorum, qui dicebant, sicut quilibet ciuis potest iustè contra alterum litigare, si pro suo iure habeat opinionem solùm probabilem; sic posse Principem contra alterum sua arma mouere, dummodò ius suum sit tantùm probabile, causaque inter vtrumque pro vtroque dubia; ita asserit

ſerit m. *In lite ciuium adhuc manet inquiſitio iuris, & iudicis, antequam ſententia executioni mandetur, & propterea ſufficit illud dubium ad litigandum iuſtè: at verò indicere bellum eſt proferre ſententiam, & mandare executioni contra alterum Principem, quapropter neceſſarium eſt, vt priùs ſit manifeſta iuſtitia belli, quemadmodùm in ipſa lite ciuium, ad hoc vt iudex pronunciet ſententiam, & mandet executioni, neceſſarium eſt, vt ſit manifeſta iuſtitia cauſæ.* Ex qua quidem reſponſione apertè conuincitur præfatum Doctorem nobiſcum ſentiſſe, non poſſe vnum Principem ſola opione probabili in cauſa dubia contra alterum arma mouere.

m *vbi ſuprà §. ad primũ reſpondetur.*

99. Sayrus loco ſimiliter ab aduerſariis citato n, licèt videatur admittere quemlibet Principem poſſe alterum oppugnare pro obtinenda re, quæ inter ipſos controuertitur, attamen quando ius pro vtroque ſit dubium, ſolùm id admittit pro obtinenda parte, non verò toto, de quo eſt controuerſia; vt ex eius ſequentibus verbis manifeſtè patet. *Sin autem res adhuc in nullius eſſet poſſeſſione (vt ſi controuerſia eſſet de iure hæreditario ad aliquod Regnum mortuo Rege) tunc in dubio neutra pars alteram oppugnare poſſet pro*

n *in Cl. Reg. lib. 7. c. 13. n. 7.*

obtinenda re tota, sed solum pro eius obtinenda parte, æquali, vel inæquali, prout dubium esset vtrinque æquale, vel inæquale. Vnde secundùm huius Doctoris sententiam, non potest vnus Princeps aduersùm alterum arma mouere sola opinione probabili pro suo iure, saltem super illo toto, quod inter vtrumque controuertitur.

100. Vincentius Candidus loco itidem citato o. nihil dissentit à Sayro, sic enim ait. *Si Regnum adhuc in nullius esset possessione, tunc in dubio neutra pars alteram oppugnare posset pro obtinenda re tota, sed solùm pro obtinenda parte æquali, vel inæquali, prout dubium esset vtrinque æquale, vel inæquale: quia in pari causa nulla prorsus est iniuria æqualem petere partem, quia iustus iudex in re dubia non applicat illam totam vni parti.* Vnde similiter meritò diximus nobiscum hunc Doctorem sentire, saltem in ordine ad illud totum, quod est in dubio,

o tom. 1. disquis. 17. art. 3. §. dico quinto.

101. Layman docẽs quomodò se debeat habere iudex in causa dubia sententianda, in qua scilicet pro vtroque litigante sit probabilis opinio, sic inquit p: *Si post causæ diutiùs dilatæ accuratam discussionem, neutra*

p lib. 1. tract. 1. c. 5. §. 3.

neutra litigantium pars inspectis allegatis de factis, aut de iure, superare videatur: vel ad superiorem iudicem causam ablegandam esse, vel arbitros de partium consensu statuendos, vel compositionem suadendam, imo etiam imperandam in tali casu nimis intricato, sicut notauit Abbas [q]. *vel denique vni dimidium, & alteri alterum dimidium iuris, vel rei, de qua lis est, adiudicandum.* Et quamuis infra supremos Principes à iudicio Regni eximat, præterquam quod in alio sensu loquatur, vt supra [r]. explicuimus, non proinde sequitur, quòd possint bella mouere contra alios, cum quibus contendunt, sola opinione probabili pro suo iure: quia quilibet Princeps in bello alteri indicendo debet se habere, vt iustus iudex in proferenda sententia. Cum autem nullus rectus iudex in iure dubio pro vtraque parte, possit tribuere totum vni, vt ipsemet docet, & est communis Doctorum sententia: & secundùm eius doctrinam in causa dubia debeat illam remittere ad superiorem iudicem, si adsit, vel cōpellere partes, vt in arbitros se compromittant, aut compositionem faciant; vel dimidium illius rei, super qua contenditur, vni, & alterum

[q] *in cap. vlt. not. 4 de maio-rit. & obed.*

[r] *nu. 43.*

dimidium alteri adiudicare teneatur: benè ſequitur iuxta ipſius mentem, & verba, non poſſe Principem vnum ſuis armis totum illud Regnum occupare, de quo cum alio contendit.

102. Reginaldus vltimus ex illis, quos communiter aduerſarij pro parte affirmatiua noſtræ quæſtionis adducunt, expreſſiſſimè, & abſque vlla diſtinctione de parte, & toto, negatiuam tuetur: ita enim de tertia conditione ad iuſtum bellum requiſita aſſerit [f]. *Tertia conditio eſt, vt certò, aut valde probabiliter conſtet de huiuſmodi cauſa iuſta, adeòque legitimè cognita, iudicatáque ſit: etenim graue peccatum eſt in dubia cauſa inferre bellum, vt docent Victoria de iure belli, & alij, quorum meminit Valentia: & probatur; quia neque homo particularis in dubia cauſa puniendus eſt, multò ergo minus tota Reſpublica.* Vbi notandum eſt, quòd iuxta huius Doctoris ſententiam cauſa belli non ſolùm debeat eſſe iuſta, ſed etiam pro tali legitimè cognita, atque iudicata.

[f] *lib.* 21. *cap.* 8. *de bello, numer.* 88.

103. Viſo igitur iam, quòd Doctores, quos nobis obiiciebant aduerſarij pro affirmatiua dictæ quæſtionis parte, nobiſcum in tuenda negatiua conſentiunt in toto, vel

ſaltem

ſaltem in parte, alios adducere mihi neceſſarium viſum eſt. Dux omnium meritò cenſetur Vaſquez ſuprà citatus, quem illi omnes ſequuntur, qui cum ipſo tuentur Regnum, ſiue Rempublicam debere eſſe iudicem inter duos, vel plures Principes, quando inter ſe diſceptent, quiſnam ex ipſis ſit illius Regni legitimus hæres, ſeu ſucceſſor, ſiue omnes ſint ſupremi, ſiue alij ſupremi, & alij non ſupremi, & quilibet eorum habeat pro ſuo iure opinionem probabilem: quia ſi tenentur ſe ſubiicere iudicio Regni, neceſſariò ſequitur non poſſe ſuis armis ipſum Regnum occupare.

104. Ex aliis illam expreſsè docuit Azorius ſequentibus verbis [t]: *Si neuter eſt in poſſeſsione Regni, & ius ſuccedendi eſt æqualiter dubium ex parte vtriuſque; tunc neutri eſt licitum bello Regnum acquirere, quia ſe exponit vterque periculo occupandi ſibi Regnum alteri debitum.* Similiter docet Valentia à nobis ſuprà [u] citatus. Idem tenet Beccanus [x]. abſolutè docens, *quòd cauſa diligenter examinata, ſi adhuc manet dubium ad quemnam prætendentium Regnum, ſeu ciuitas pertineat, diuidendum foret*

t 3. p. lib. 2. cap. 7. quæſit. 5.

u numer. ....

x tr. de char. cap. 25. de bello q. 8.

id, super quo disceptatur, inter vtrumque pro qualitate dubij, vel facienda aliqua compensatio, si illud diuidi non potest. Vnde concludit, *non superesse modum alium finiendi litem inter Principes prætendentes, nisi per compositionem, aut diuisionem*: non verò per bellum, vt tuus Spinola tibi, non nobis firmauit. Bonacina [y]. neutram partem posse arma capere ad occupandum totum Regnum, benè tamen ad occupandum partem æqualem, vel inæqualem pro æqualitate, aut inæqualitate dubij ex vtraque parte, asseuerat. Filliucius [z]. diuersos modos componendi huiusmodi litem inter Principes adducens, ita inquit. *Si neuter in possessione sit, & ius succedendi æqualiter est dubium, neutri licèt bello occupare, quia periculo se exponit vsurpandi: & iustum esset bellum ex vtraque parte, seclusa ignorantia, quod absurdum reputatur. Tunc autem adhibenda esset diligentia, vt inquiratur veritas, vt diximus cum de conscientia dubia &c. Tertiò, manente dubio, vel res componenda esset arbitrio boni viri; vel sorte tribuendum alteri, vel diuidendum æqualiter: neutri autem liceret Regnum inuadere: quòd si alter inuaderet, ius esset alteri*

y tom. 2. disp. 2. de restit. q. vlt. sect. 1. punct. vl. §. 2. n. 8.

z tom. 2. tract. 29. cap. 9. n. 184.

*alteri se defendendi, & Regnum, ab iniusto inuasore**. **Nota.*

105. Cum iam vltimam manum huic admonitioni imponere vellem, ad meas deuenerunt duo Tomi Patris Francisci de Ouiedo Complutensis, Lugduni excusi, alter in primam secundæ D.Thomæ anno XLVI. De Fide, Spe, & Charitate: alter anno proximè elapso LI. In vtroque Vasquez doctrinæ adhærens, illamque acerrimè defendens, cum cæteris, quos citat, vtramque nostram opinionem firmissimè tenet, tàm circa decisionem controuersiæ inter duos, vel plures Principes super aliquo Regno; quàm circa indicendum bellum, ratione tantum probabili de successione alicuius Regni. Cuius quidem verba, cum nos aliis efficacioribus, & expressioribus, ipsius Patris mentem explicare non valeamus, hîc fideliter transsumpta ad tuam confusionem duximus apponenda.

106. Sic igitur asserit a. *Nibilominus standum est sententiæ Patris Vasquez, quia, vt ipse ait, & ex ipso omnes, qui illius sententiam sequuntur: omnis cõtrouersia, quæ inter opiniones* a *dict.10. 1. de consciẽt.tr.5 cõtrou.3. punct. 7. num.89.*

versatur circa ius aliquod, non potentia, & armis, sed iudicio dirimenda est: Barbarorum enim videtur, melius ius regnandi in potentioribus armis constituere. Deinde bellum istud non potest esse actus iurisdictionis, neque sententiæ executio, quia asserere Regem posse ius dicere contra alium, ab omni ratione alienum videtur: quomodò enim ius dicendum contra partem, quæ non potest cogi ad comparendum in iudicio, & contra alium nullo modo inferiorem, cum par in parem iurisdictionem habere nequeat, & pars inaudita nullo modo possit condemnari? Deinde est in magnam populorum perniciem licentiam hanc bellum mouendi Principibus concedere, cum ipsi alio modo possint iuri suo consulere. Deinde non potest esse actus iustitiæ vindicatiuæ, quia neuter Rex iniuriam facit alteri: ergo nullum est caput ex, quo possit bellum istud licitum fieri.

107. Quo supposito audi etiam quid contra tuum Hurtadum statuat. *Difficultas est* (inquit) *ad quem pertineat in hac causa ius dicere? In qua Hurtadus*[b]. *asserit cuiuslibet Regis esse, pro se ius dicere; & posse in sui fauorem sententiam ferre; asserítque non ideò admittere posse dari bellum iustum ex vtraque parte;*

[b] *de charit. disp. 169. de bello, sect. 7. §. 66.*

parte;

parte: quia potest quilibet Rex dimidiam partem Regni sibi adiudicare, & quæ medietas, ad quem sit ventura, sorte; aliave ratione componere. Facilius percipio Regem bellum mouere aduersus alium ex iudicio probabili, quo censet Regnum, de quo est contentio, ad ipsum pertinere, & ita ratione probabilis opinionis, posse dari bellum iustum ex vtraque parte, quàm posse Regem in suum fauorem contra Regem alium sibi nullo modo subiectum, sententiam ferre. Quod adeo difficile visum fuit Patri Vasquez, vt asseruerit modum istum dicendi nihil probabilitatis habere: eum satis impugnant rationes adductæ numero præcedenti. Præterea, si quilibet Rex potest stare iudicio suo, & non est admittendum bellum iustum ex vtraque parte, vt vult Hurtado, necesse est quemlibet tantum iudicare dimidiam partem Regni competere, & non posse aliter sententiam ferre. Facilius ergo est asserere ex ipsa rei natura oriri in Regibus obligationem diuidendi Regnum, quàm suo iudicio committere diuisionem hanc necessariò faciendam. Ratio enim ea, quæ cogit Reges ad ita iudicandum, poterit immediatè eos cogere ad Regnum diuidendum.

108. *Octaua conclusio. Iudicium istud poterit ad arbitros ab vtroque Rege aßignatos remitti:*

mitti: vel standum erit iudicio Regni, de quo contenditur. Primum docet Nauarrus: & sanum consilium fore docet Suarius. Posterius docet Vasquez, Palao, Montesinus, Salas, & Gaspar Hurtado, qui asserunt, si aliquis ex litigantibus suspectos habeat iudices Regni vacantis, sed arbitros recurrendum esse. Ratio est quia deficiente Rege, Regnum est regula dirimens controuersias in ipso: & ita in Aragonia res peracta est tempore sancti Vincentij Ferrerij. Iuuat etiam exemplum Ecclesiæ, quæ dirimit dubium ortum circa Summum Pontificatum, & ius dicit litigantibus, cui standum est. Si autem nolit aliquis ex litigantibus ad hæc rationabilia media venire, iure poterit ab alio propter iniuriã factam armis oppugnari.

109. Quid amplius (R.P.) in hac materia desiderari potest? quid doctius? quid iustius? quid tandem verius? Si non ex tuis, sed ex alienis laboribus (vt tibi vetus mos est) hunc tuum tractatum exarare volebas, cur non ex illorum, qui re, & opinione omnium doctiores, non verò assentatores iudicabantur? Si debebas, (vt supra diximus) aquam sapientiæ ab Iesuitis efflagitare, cur non ab illis, qui primas sapientiæ sedes inter sapientes dignissimè obtinuerunt? Relinquis, seu veriùs spernis,

Patres Vasquez Theologorum huius sæculi Principem, vt illum Basilius Poncius notissimæ famæ Theologus apertè vocat: Azorium, Valentiam, Salas, non inferioris notæ Doctores: quinimò & ipsum S. Theologiæ refertissimum Thesaurum P. Suarez, qui benè intellectus in hac quæstione nobiscum sentit, vt paulò infra ex ipsiusmet expressis verbis euidenter patebit, ac alios plures ex sacra Iesuitarum familia: & vanè iactaris de adducendo primùm Arriaga, & Hurtado de Mẽdoza, qui, vt ex ipsorũ scriptis euidẽtissimè constat, sui Regis non consciętiam exonerare, sed ambitioni assentari studuerunt? Quid igitur de te proferam, nisi quod Propheta c, de Pastoribus Israël, qui & si purissimam bibebant aquam, illam tamen pedibus turbabant? Ab illis antiquis Doctoribus Iesuitis, qui capita sapiẽtiæ meritò dici poterant, limpidissimam aquam, hoc est, purissimam, ac verissimam doctrinam (vt piè credendum est) exhausisti; sed (proh! dolor) eam pedibus, hoc est, authoritate, seu veriùs adulatione istorum modernorum, (meritò enim respectu antiquiorum pedes dici possũt) omnino turbasti, seu potiùs euertisti. Sed si modernos authores tanti pendebas, cur P. Ouiedo, viri doctissimi, natione Castellani

c *Ezech.* 34. 18.

habitatione Complutensis, ac in ipsa Academia primarij professoris authoritatem spreuisti? Quis dubitabit, quod non vt adulator, sed vt verus Doctor Iesuita, in quo dolus non est, veritatem docuit?

110. Nostram denique sententiam docuerunt omnes Doctores classici, qui de hac materia vel ex professo, vel obiter scripsêre, vno excepto Petro Nauarro, qui contrariam insinuat.[d] Sed tanquam falsam omnes alij reprobant, maximè Salas.[e] qui omninò veram dicit oppositam, etiam si qui bellum infert, opinionem de iustitia belli longè probabiliorem iudicet: qui etiam citat pro eadem sententia Antonium Perez, docentem.[f] quòd quando duo Principes contendunt de aliquo Regno, in cuius possessione neuter est, sententia sit ferenda à Rege; qui actualiter possidet tale Regnum; vel si nullus possidet, ab ipsa Republica.

d. 2. de restit. c 3.

e in c. 2. tract. 8. disp. vnica sect. 13 n. 132.

f certam. 10 Scholastico. n. 105. & seqq.

111. Vidisti iam (R. P.) nisi cæcus omninò sis, quòd pro vno tuo Spinola, qui, vt tu asseris, affirmatiuam propositæ quæstionis partem firmauit, quot pro negatiua tibi obtulimus, ipsosmet etiam, quos tui nouissimi Castellani contra nos obiiciebant:

Sed

Sed non proinde putes ſententiam noſtram in eorumdem authoritate tantummodo fundari, ac ſtabiliri: quia, vt ſupra g aduertimus, ſententia fundata in authoritate Doctorum, per extrinſeca tantùm fundamenta probabilis æſtimatur: quam obrem rationes illas breuiter adducam, quibus noſtra negatiua ſententia in propoſita quæſtione omninò fulcitur, ac roboratur; ſed priùs non per intrinſeca nulla, neceſſaria ad veritatem ſtabiliendam, ſunt præmittenda.

g n.32.

112. Primum igitur ſit, bellum eſſe actũ iudicis ſpectantem ad iuſtitiam vindicatiuam, quo Princeps, tanquam iudex, punit rebelles, pœnamque infligit iis, qui iuſto reſiſtunt. Vnde inter cauſas omnino neceſſarias ad iuſtum bellum, prima, & principalis eſt iſta, ad quam cęteræ omnes reducuntur, vt communiter docent ſupracitati Doctores, & reliqui omnes, qui de iuſto bello quandoque tractarunt.

113. Secundum: illam ſententiam, ſeu opinionem probabiliorem cenſeri debere, quam Doctores eo cauſarum genere periti communiter ſequuntur, ſed Communem opinio

opinionem non ex opinantium numero æstimandam esse, cum fieri soleat, vt vnius ductu plures eodem tramite, nulla noua ratione moti, velut aues auem, ac oues ouem sequantur, nisi etiam alij in nullius verba iurati, & ex professo quæstionem tractantes, bonis rationibus eandem sententiam confirment; sicut notauit Nauarrus [h]. ita Layman vbi supra; Reginaldus, & cæteri omnes Doctores Morales.

[h] cap 27. nu. 286. & seqq.

114. Tertium: quamuis Doctores communiter doceant, posse quemlibet iuxta probabilem opinionem indifferenter operari, hoc tamen intelligendum esse, nisi fortè ex altera parte periculum aliquod immisceat, vel notabile aliquod damnum nobis, vel proximo, quod ex iustitia, aut ex charitate vitare teneatur: vnde in tali casu sequendam esse tutiorem partem, non solùm, cum probabilior opinio illi fauet, sed etiam cum minùs probabilis, quandoquidem periculum damni secuturi non pendet ex probabilitate opinionis, sed ex facto de quo est opinio [i].

[i] ita Reginaldus lib. 13. ca. 10. sect. 1. à n. 95. quem sequuntur omnes morales Doctores.

115. Quartum denique: omnem rectum iudicem in proferenda sententia debere semper probabiliorem sequi opinionem,

nem,quia ipse non habet ius in rem, vt suo arbitrio illam possit adiudicare cui vellet partium litigantium, sed est tantummodò distributor rei,&,vt talis,debet eam illi applicare, qui maius ius ad ipsam habuerit, is autem sine dubio est,qui probabiliorem in iure opinionem pro se habuerit k.

116. Quibus præmissis sit prima ratio. Princeps, qui bellum indicit alteri, gerit vices iudicis in re grauissima: quia ipsa belli indictio idem est, atque sententiam in alterum ferre: atqui nullus iustus iudex in causa pro vtraque parte dubia,alteram condemnabit, & alteri rem totam adiudicabit: ergo neque Princeps alter,opinionem tantùm probabilem pro suo iure habens, potest contra alterum bellum mouere; quia in tali casu mouere bellum idem est, atque sibi adiudicare illud Regnum de quo inter ipsos erat controuersia. Maior est verissima, & vt talis ab omnibus recepta: minor est etiam communis apud omnes supracitatos Doctores: consequentia autem colligit in forma. Qua quidem ratione,seu potiùs formali syllogismo ducti omnesDD. docuerunt,vt vidisti,in causa dubia,seu pro vtraq; parte probabili,rẽ,quę cõtrouertitur, diui

k ita Suar. d. disp. 13. de bello, sect. 6. num. 4.

diuidendam esse æqualiter, vel inæqualiter pro æqualitate iuris vtriusque partis: seu compensationem faciendam, vel ad arbitros partibus approbatos remittendum iudicium, non verò ab vna armorum potentia more barbarorum occupandam: vt rectè non solum Vasquez, sed etiam Suarez vbi supra.1.apertè docuit: Sic enim ait. *Iam regulariter ij haberent maius ius, qui potentiores essent, atque adeo ex armis esset metiendum; quod barbarum, & absurdum satis apparet.* Vnde ibidem censet *probabile valde esse, supremos Principes in simili casu teneri arbitrio virorum bonorum iudicium relinquere, quia tenētur, quoad possunt, vitare bellum honestū mediis.* Quod tandem confirmat, *quia impossibile putat Authorem naturæ in eo discrimine reliquisse res humanas, quæ frequentius coniecturis potiùs, quam certa ratione reguntur, vt omnes lites inter Principes Supremos, non nisi per bellum terminari debeant, est enim id contra prudentiam, ac bonum commune generis humani: ergo contra iustitiam.* Vnde licèt numero sequenti aduertat posse eosdem Principes per viros doctos ius suum examinare, & illud per se executioni mandare, cum addat *si satis de illo sibi constat*, manifestè colligitur

1 *dicta disp. 13. & sect. 6. n. 5.*

tur loqui in eo caſu de iure euidenti, non verò de probabili tantùm, quia de iſto nunquam dici poteſt quòd conſtat ſatis, cum ex ſua natura includat formidinem, quòd oppoſita pars, ſiue opinio poſſit eſſe vera, vt ſupra [m], monſtrauimus. m n. 49.

117. Secunda ratio. Quamuis quilibet habens pro ſuo iure opinionem probabilem tuta conſcientia operari poſſit; non tamen (vt præmiſimus tertiò) ſi ex tali operatione ſibi, & proximo aliquod periculum, ſeu damnum notabile ſubſequatur: atqui ex bello ſola opinione probabili ab vno Principe alteri indicto, vtrique notabile damnum, ac periculum ſubſequitur, imò & ipſi Regno, ſuper quo diſceptatur, quod indicens vitare tenetur: ergo in dicto caſu neuter poteſt tale bellum alteri indicere, Regnumque ſibi ſuis armis occupare. Maior eſt certiſſima; conſequentia euidenter colligit: minor probatur; quia indicens tale bellum, iuxta ſententiam Reginaldi, quam ſupra [n], retulimus, & aliorum, quos ipſe citat, committit graue peccatum: & Reſpublica in cauſa dubia punitur, cum nec homo particularis poſſit in ea puniri: & iuxta doctrinam Azorij, & aliorum [o], ſe exponit n n. 102 o n. 104.

 periculo

periculo vſurpandi ſibi Regnum alteri debitum; cui conſequenter imminet notabile damnum, perdendi ſcilicet quod ſuum erat: ergo, &c.

118. Tertia ratio. Princeps Supremus in bello indicendo alteri, cum quo diſceptat ſuper aliquo Regno, ſeu Statu, gerit vicem recti iudicis: atqui omnis rectus iudex in ferenda ſententia tenetur ſequi probabiliorem opinionem, vt præmiſimus quartò ex doctrina Suarez, quæ eſt communis apud omnes: ergo euidenter ſequitur non poſſe ſola opinione probabili tantùm, bellum alteri indicere, qui ſimiliter pro ſuo iure habet probabilem opinionem: ſequerentur enim plura abſurda, quæ ſupra p retulimus. p nu. 49. & 82. Quis autem in lectione Doctorum Scholaſticorum mediocriter tantùm verſatus dubitare poteſt negatiuam partem præſentis quæſtionis non ſolùm probabiliorem, ſed omninò etiam veram eſſe, &, vt talem, communiter defendi à præfatis Doctoribus?

119. Quarta denique ratio, quam ex induſtria in hunc vltimum reſeruauimus locum, deſumitur ex ſecundo præmittendo, & ex parte eſt veluti quædam confir-

matio

matio tertiæ præcedentis;& ita habet. Probabilior opinio illa meritò dici debet, quam Doctores eo causarum genere periti communiter sequuntur, non iurantes in verba alicuius, sed eam bonis rationibus confirmantes: atqui vt visum est, solus Pater Vasquez, & qui ipsius, vel tenuerunt, vel sequuti sunt sententiam, eam fundarunt, & confirmarunt bonis, ac firmissimis rationibus, quibus nemo adhuc, aut ex antiquis, aut ex modernis Doctoribus, aliquo modo satisfecerunt, sed omnes vt aues auem, & oues ouem eodem tramite illum primum sequentes, qui distinctionem illam de parte æquali, vel inæquali iuxta æqualitatem, vel inæqualitatem iuris, inuenit: ergo sententiam illam Vasquez & aliorum, qui eam sequuti sunt, probabiliorem debemus dicere; ac consequenter secundùm eam, tanquam talem, debere vtrumque Principem operari, quando de successione alicuius Regni inter ipsos lis controuertitur, nisi alter pro se habeat certum, ac euidens ius ad tale Regnum, quia in eo casu poterit (vt supra diximus q) mouere bellum contra alium, si iuri euidenti nolit cedere; & ipsum Regnū suis armis, si necesse fuerit,

q nu. 83.

occupare propter rationes ibidem adductas, ex ipsomet P. Vasquez, & cæteris omnibus, qui idem communiter docuerunt.

120. Qua quidem resolutione supposita, iam manifestè apparet responsionem Complutensium ad secundum articulum, falsissimam, imò & ignorantissimam esse: quia, cùm Philippus ad successionem Regni Lusitani ius certum, & euidens non haberet, vt ille, & ipsi falsò supponebant, sed ad summum probabile tantùm, sicut aliqui ex prætendentibus; nullo modo ipsum Regnum occupare poterat, sed sententiam Reipublicæ Lusitanæ, secundùm Vasquez, & alios, qui idem docuerunt, expectare debebat: vel secundùm alios Doctores in arbitros suspicione carentes, si cæteri prætendentes consentirent, se compromittere: vel saltem diuidere, aut compensare, provt ex Doctoribus citatis supra dictum est. Nec etiam tunc temporis Lusitana Respublica rebellis dici poterat, non agnoscens pro suo Rege illum, qui contra omne ius per potentiam, & violentiam intentabat eam sibi subigere, antequam causa iuridicè decideretur. Nec alij quoque prætendentes ipsum Philippum offendebant, non sinentes Regnum arripere, ad cuius successionem

nem, saltem aliqui, probabile, sicut ipse, imò & probabilius ius habebant. Vnde absolutè dicendum est, dictum Philippum in occupando Regno Lusitano potentia, armis, ac violentia, apertam commisisse tyrannidẽ, ac consequenter ipsum, filium, & nepotem tyrannos titulo illius Regni extitisse.

121. Ad tertium tandem articulum responderunt Complutenses [r]. *Illud iuramentum, quod Lusitani præstiterunt de non recognoscendo aliquo ex prætendentibus pro suo vero, ac legitimo Rege, nisi illo, qui iudicialiter pro tali fuisset declaratus, non obligare eos ad sui obseruationem; siquidem nec in Lusitania, nec alibi iudex aliquis extitisset, qui hunc casum cum dicto Rege iudicare posset: præterquam quòd præfatum iuramentum præstitũ fuisset, in ipsius Regiæ præeminentiæ notabile præiudicium: & ita sicut illud non poterat eos astringere, qui iurarunt, sic etiam non poterat eosdem liberare ab obligatione ipsum recipiendi in suum Regem. Nec obstabat, quòd cæteri prætendentes iudicio contentioso stare vellent, quia ex hoc non tenebatur ipse ad recognoscendum pro suo iudice illum, vel illos qui tales esse non poterant.*

[r] *Conestag. d. li. 5. fol. mihi 216.*

122. Ex prædicta responsione apertè constat, ex eo tantùm Complutenses existi-

masse nõ teneri Lusitanos ad obseruationẽ præstiti iuramenti de non recipiendo pro suo legitimo Rege, nisi qui pro tali fuisset iuridicè declaratus, quòd nec in Lusitania, nec alibi aliquis esset, qui præfatam successionis causam posset iudicare: atqui hoc est falsissimum, quia iuxta sentẽtiam Vasquez, ipsum Regnũ; secundùm omnes alios DD. arbitri poterant, imò debebant præfatã causam finaliter decidere, omnésq; prætendẽtes teneãbtur eius, vel eorum sentẽtiæ obedire: ergo falsò Complutenses resoluerunt Lusitanos non teneri præstitum obseruare iuramentum. Nec etiã illud fuit datum, aut sumptũm in ipsius Regiæ præeminentiæ præiudicium. Nam vt optimè, ac ingeniosè notauit Coninchius [f]. *Valdè distincta sunt me esse legitimum iudicẽ illius causa, quæ versatur inter Petrum, & Paulum, & me esse legitimum iudicem personæ ipsius Petri, & Pauli.* Quod ab exemplo sic probat: *quia quando Ecclesiasticus petit aliquod debitũ à sæculari, Magistratus ciuilis est legitimus iudex illius causæ; nullo modo tamen est iudex personæ illius Ecclesiastici, nec in hanc vllam habet potestatem:* quod sequẽti numero magis cõfirmat, vt apud illum loco citato videre poteris. Sic similiter licet Regnum

[f] *disp. 31. de bello, dub. 2. num. 34.*

gnum Lusitanum decideret, vt iudex, controuersiam successionis inter Philippum, & cæteros Principes prętendentes, non proinde sequebatur dici posse iudicem personæ Philippi & cæterorum Principum, ac cōsequenter ex hoc iudicio nullū resultare præiudicium ipsorum præeminentiis, ac dignitatibus. Ad vltimum, quod addiderunt Cōplutenses, nimirùm & si cæteri prætendētes vellent stare iudicio contentioso, ipsum tamen Philippum non teneri pro suo iudice recognoscere eos, qui tales esse non poterāt; satis superq; respōsum est in supradictis

123. Ecce iam vidisti (R.P.) nisi oculis tuis, vtpote passione ægris, odiosa sit lux veritatis, quæ puris & veris est amabilis; probationis tuæ minoris falsitatem, in qua asseris tuum Philippum habuisse iura successionis in Regnum Lusitanum luce meridiana clariora. Similiter Academias Salmāticensem, & Complutensem, nec pluries, nec etiam semel dicto Regi vota sua dedisse, asserentes ipsum habuisse ius certum in dictum Regnum succedendi: imò nec de tali iure fuisse interrogatas, sed solam Complutensem, non tamen de iure successionis, sed de ingressu cum armis in illud.

Ergo non impiè (vt tu audacter dicis) sed piè, doctè, veracitérque asseritur, non solum Secundum; sed Tertium etiã, & Quartum Philippum tyrannos titulo Regni Lusitani extitisse. Vnde cùm malæ fidei possessores fuissent, quia iniustè, & contra conscientiam vnus occupauit, & duo alij retinuerunt; Ioannes Brigantinus Dux, ad quem omne ius succedendi, quod habebat ipsius Auia Domina Catharina, tanquam ad legitimum hæredem deuenerat, dictum Regnum suis armis poterat sibi vendicare; constat enim ex Doctoribus suprà citatis, quòd si vnus ex prætendentibus sola opinione probabili pro suo iure totam rem, quæ controuertitur, occupauerit; alter, qui pro se habuerit opinionem probabilem, possit totum iustè reassumere, etiam armis, si opus fuerit. Quod tamen ipse non fecit, sed ab ipso Regno primùm acclamatus, posteaque ad Regiam vocatus, ibi salutatus, & in possessionẽ missus fuit. Et quamuis deinde arma sumpserit, non tamen ad Regnum vsurpandum, sed vt iam suum defendendum à primo iniusto occupatore, seu retentore, vt patet ex dictis.

124. Sed quid tandẽ dicendũ de tyrãnide

quoad

quo ad exercitium? Tempus ſanè, & chartam conſumerem, ſi illa omnia in medium afferre vellem, in quibus tres Philippi, & præ omnibus Quartus, Luſitaniam maxima tyrannide oppreſſerunt. Vnde ſatius duxi te, & Lectorem ad Doctorem Velaſcum remittere: ibi enim t quot tyrannidis species tui Philippi, & maximè Quartus, exercuerint in Luſitanos, non tantum in imponendis, & augendis tributis, vt tu dicis, ſed etiam in illis omnibus actionibus, quas Bartolus u ad decem reducens, euidenter probat Tyrannum à Rege per ipſas diſtingui: quem omnes Doctores ſequuntur x; ad confuſionem tuam comprobatum videbis. Quas quidem actiones, & alias etiam, ſpecificè oſtendit vnam ad vnã tuos Philippos, ac præcipuè Quartum libere, & abſque vllo delectu in Luſitanos exercuiſſe. Nam ſunt nugæ nugarũ (R. P.) vt tu nugaciter (ne dicam ignoranter) aſſeris: ſed veritas veritatum, vt ipſi Luſitani ſunt experti, & totus Orbis ſciuit, vel ſaltem audiuit.

t *in tract. anal. 2. p. pũct. 2. §. vnico à n. 6. cum ſeq.*

u *tract. de tyrãnide q. 8.*

x *Puteus tract. de Syndic. in principio. Boſſius in tit. de Principe num. 63. Petrus Greg. de Repub. lib. 6. c. 18 & cateri omnes.*

125. Ad id quod addis in aſſentationem tuorum Regum circa praxim imponendi tributa, meliùs quàm ego reſpondere poſ-

ſunt,imò & te falſitatis conuincere tui Panorminani,Meſſanenſes,Neapolitani, Mediolanenſes,Sardi,Belgæ, Aragonenſes, Indiani,& ſuper omnes Caſtellani:interroga eos, & ego tibi promitto ipſorum ſtare reſponſis. Conſule Lucenam , Hiſpalim , & alias ciuitates Bæticas , & omnes te docebunt veram praxim , quam tui Philippi, præſertim Quartus , in nouis tributis imponendis,& iam impoſitis augendis obſeruarunt,& quid à Theologis,ac Iuriſconſultis exquiſierũt , vt illa tutâ cõſcientiâ,vel de nouo imponere , vel iam impoſita augere poſſent.O cæcum,& ducem cæcorum,imò & ſurdum,ac ducem ſurdorum ! Non audiſti clamores harum omnium Nationum? Non legiſti relationem illorum nouẽ dierum , quibus Thomas Agnellus Populum Neapolitanum gubernauit ? Nõ auſcultaſti clamores , ſeu potiùs vociferationes illius populi furioſi , & veluti omninò amentis contra Hiſpanicum gubernium?Si hęc non vidiſti,nec audiſti,cæcus, & ſurdus penitus es:ſi autem ea vidiſti,aut ſaltem audiſti,vel ad minus legiſti,quod verius puto; Cur tuo Regi aſſentaris,laudando illa omnia,quę ab vniuerſo Orbe fœdè vituperantur,etiam ab ipſiſmet

ipsismet Castellanis qui sanioris, ac timoratæ sunt conscientiæ, nisi vt à Tyrannide nō desistat? Munus tuum erat (R.P.) tuum Regem, cui te addictissimum fateris, saltem per secretas litteras admonere, vt ab illa desisteret, non verò illi adulari, vt eam prosequeretur, persuasus tuis, & aliorum similium adulatorum scriptis nihil mali contra Deum, & suos committere, qui enim ignorat peccatum, nullo modo potest desistere à peccato, Vos ipsi peccata occultatis, imò, & ipsa peccata tanquam virtutes laudatis, quomodo ergo miser Rex potest ab eisdem saltem peccatis desistere? Non immeritò igitur postquam tuæ (R.P.) per Orbem diuulgatæ sunt resolutiones, illud de te prouerbium in ore plurimorum communiter versatur. *Diana, qui tollit peccata mūdi.* Quid mirum ergo, si tuorum Regum tyrannidem ab ipsis tollere velis? Sed de hac prima tyrannide scilicet titulo, dicta, stabilita, & rationibus, ac iure comprobata sufficiant, satis enim ex assertis constat tres Catholicos Philippos titulo Regni Lusitani Tyrānos extitisse; De secūda verò tyrānide, hoc est in exercitio, sufficiant, quæ remissiuè ad Doctorē Velascum tetigimus; in loco enim

enim à nobis citato videre poteris,quot tyrannidis ſpecies tui Philippi, & maximè Quartus,in exercitio commiſerunt, nō dico per ſe ipſos,ſed per Miniſtros ſuos,quod ſanè tum apud Deum,cùm apud homines ipſis ſit imputandum, nemo eſt qui neget; quia Princeps,qui non punit peruerſos Miniſtros,cenſetur conſentire in illis,quæ ipſi peruersè,ac iniuſtè operantur,præſertim ſi ſint in detrimentum, & ruinam Populorū.

126. Deueniamus igitur,vt hanc noſtram admonitionem concludamus,ad tui tractatus titulum, de poteſtate nempe exauthorandi Reges: In quo quidem plura, ſi non ineptè, ſaltem ſuperfluè, imò & inaniter congeris; nemo enim verus Catholicus, maximè his noſtris temporibus, Summo Pontifici negat poteſtatem illam (quā Doctores indirectam vocant) ad Reges exauthorandos, Regníſque priuandos, ſi caſus ita poſtulet in ordine ad bonum animarum ſpirituale.Cumque illa omnia adduxeris,vt tandem ad decimam dicti tractatus reſolutionem deuenires,in qua prauè, ſtultè,mēdacitérque agis de Sereniſſimi noui Regis Luſitani acclamatione, vt tuo inuictiſſimo Regi Catholico adulareris; ſufficeret ſanè,

vt

vt illam impugnares, quin ad Summi Pōtificis poteſtatem recurreres,ſed cum nec ſecundùm ius commune, ſed nec etiam ſecundùm municipales Luſitaniæ leges eam reprobare,ſeu infringere poſſes,ad authoritatem recurris Eccleſiæ,vt te illam defendere Sanctiſſimo ſuaderes, ſícque ipſum hoc obſequio aſtringeres ad aliquam,in tui Regis fauorem, demonſtrationem faciendam. Quod olim D. Ioannes Chumacerus tempore fœlicis recordationis Vrbani VIII. ſimiliter tentauit:ſed,vt ingenioſè aduertit Morellus, inefficax adhibuit remedium; quādo enim infirmi ad Eccleſiæ remedium recurrunt,iā deſperata eſt eius ſalus. Vnde nihil de hac quæſtione agere putabā:cum enim non contēdamus aduerſus Eccleſiæ hoſtes, nec nos etiam ipſius hoſtes ſimus, ſed filij, ac ſubditi humillimi, vt tales, eius dogmata totis viſceribus amplectimur, pro illíſque etiam vitam tradere, ſi opus fuerit, ſumus parati;non occurrebat in controuerſiam vertere,quod certum, verum, ac Catholicum iudicamus.

127. Nihilominùs tamen quia tuam ſextā reſolutionem ita incipis: *Sententiam, quam ſupra cum Suarez,& aliis docuimus, Modernus quidam tantùm admittit, quando Populus, & Proceres*

Proceres non haberent vires deponendi Reges: nā si hoc ipsi possent facere, putat non posse Sum. Pōt. in tali casu Reges deponere, sed hoc spectare ad Populum, & Proceres. Verùm fallitur Lusitanus, nam P. Azor, Suarez, & alij, absolutè, & sine vlla distinctione, & limitatione tenent posse à Pontifice exauthorari Reges, &c. necessarium duximus aliquid super hac materia disquirere, vt tuam vniuerso Orbi palam facerem passionem, ne dicam ignorantiam.

128. Quod vt euidentiùs ostendā, Lectores huius meæ admonitionis innixè deprecor, vt totum tuum tractatum legentes, profunda, ac perspicaci attētione perpendāt te controuersiam, seu disputationem tantummodo instituere de tyranno exercitio, nihil penitùs de tyranno titulo pertractantem; vt euidēter patet ex ipsis primis verbis, quibus illam introducis: sic enim se habent: *Affirmatiuam sententiam in casu, quo Rex exercitio factus sit tyrannus, docet, &c.* Et in hoc sensu per omnes nouem sequentes resolutiones de præfata quæstione solūmodo agis, vt ex ipsis euidenter constat. Quomodo ergo (R. P.) quáve ratione, aut iudicio in tua decima resolutione ex his præmissis concludere intendis Regem Catholicum non potuisse à Regno Lusitano exauthorari sine consensu

Sũmi Pontificis? Nesciebas (ita sane, vt credo) aliud esse posse Regem deponi propter tyrannicum exercitium, & aliud propter iusti tituli defectum. Cùm ergo scires, (non enim quod vniuerso terrarum Orbi notum est, poteras ignorare) fundamentum solidũ, ac firmissimum acclamationis Regis Ioannis non in tyrannide exercitio, sed in tyrãnide titulo ex parte Regis Catholici constitisse, cur de hac tyrannidis specie nec vnũ verbum proponis, nouem de illa resolutiones instituens? Doctores Lusitani (R.P.) & quicumque alij exteri, in iuris fauorẽ præfati Regis Ioannis scripsêre (lege eos attentè, imò & relegito) non agunt de Catholicorum Regum tyrannide quoad exercitiũ, tanquã de causa principali depositionis Catholici Philippi IV. sed tãquã de accessoria, ac superabundãti: tu verò nihil de principali, & tot resolutiones de accessoria. Ad quid quæso, nisi (vt Morellus redarguit D. Ioannẽ Chumacerũ) vt Sãctissimo D. N. Innocentio persuaderes, Apostolicę authoritati incũbere, Ecclesiæ arma in Regẽ, & Regnum Lusitanũ imperiosè distringere? Vanũ quidẽ tamẽ, imò & desperatum adhibuisti remedium, vt iã supra ex ipso Morello ostẽdimus.

129. Quo obiter præmisso, vt nõ modernũ

Lusitanũ, sed te falli omnino, ac decipi (licèt inuitus) fatearis; attẽde quæso ad ipsius formalem sententiam. Primùm instituit illam celebrem quæstionem adeò inter Iuristas, & Theologos controuersam circa potestatem Papæ in Reges, & Regna exercendam. In qua quidem ex communiori Doctorum sententia resoluit habere Summum Pontificem dictam authoritatem in supremos Principes, indirectè tamen, quatenus scilicèt opus sit ad bonum spirituale, ad animarum salutem, quam asserit in rigore dici non posse temporalem, sed eamdemmet suam spiritualem, ratione finis spiritualis, ad quem dirigitur; licèt *in cap. Per venerabilem*; & *in Extrauagan. Vnam Sanctam.* temporalis nominetur ratione obiecti, seu materiæ, circa quam exercetur. Deinde supponit cum communiori etiam illã necessitatem ad finem spiritualem non esse intelligendam simpliciter, & absolutè de quacunque; sed de admodum graui per comparationem ad finem supernaturalem: ita Molina [y], & omnes ferè Theologi cum ipso: alioquin posset Pontifex in omnem temporalem administrationem manum mittere, quia omnis, quandoque saltem,

[y] *de iust. disp. 29. § ex dictis infero.*

tem,

tem, conducit, ſemperque dirigi debet ad finem ſpiritualem, & æternum. Vnde tandem concludit, quòd quando in Regno inuenitur ſufficiens poteſtas, ſeu potentia, ad diſponenda ea, quæ ad præfatum finem neceſſaria iudicantur, & illi, qui eam habent, volunt, & poſſunt ea ita diſponere, non intereſt Pontificis, ſeu (vt clariùs dicamus) non eſt neceſſe Pontificem manum mittere in temporalia Regnorum negotia: imò prudentiſſimè ſe præſtant, maximè his temporibus, omnes Pontifices ipſis Regnis, & Principibus omnes ſimiles controuerſias, lites, & negotia relinquentes, quoniam ſi aliter egiſſent (vt tu perſuadere niteris Sanctiſſimo D.N. Innocentio) occaſio eſſe poſſet grauiſſimorum malorum, vt ſimiliter docet præfatus Molina, vir tantæ, tamque notæ ſcientiæ, & authoritatis, vt plures, ex primis huius ſæculi Theologis, non erubeſcant illum Magiſtrum appellare [z]. [z] *vbi ſup. diſp. 103. §. quãuis autem.*

130. Concedit itaque præfatus modernus Luſitanus [a], & nos etiam cum illo, ac cum omnibus ferè Doctoribus verè Catholicis, Summo Pontifici authoritatem, & poteſtatem deponendi, ac exauthorandi Reges, ac Principes temporales, ſubrogan- [a] *1. p. §. 4. n. 15.*

M dique

dique alios loco ipſorum : fatetur ſimiliter eſſe eorum ſuperiorem,&, vt talẽ, poſſe in eos ſuam ſpiritualem poteſtatem exercere etiam in rebus temporalibus,dummodò ad ſupernaturalem finem opus eſſe iudicauerit. Hoc tamen non abſolutè, & ſimpliciter,ſed ſi caſus emerſerit,in quo neceſſariò illam exercere debeat.Caſum autem hunc triplicem exprimit:primùm ſcilicèt quãdo in Regno deficiat ſufficiens poteſtas ad id exequendum, quod ſupponitur neceſſariũ eſſe fieri.Secundum,quando illi,qui præfatam habent poteſtatem,negligentes,& culpabiles ſe prębeant in illa exequenda.Tertium tandem,quando Regna ipſa,ſiue Reſpublicæ, & ſi habeant præfatam authoritatem, ſecundum ſuas leges municipales, ac ius commune,&, quantum ex ſe eſt, velint illam exercere,non tamen audent, propter potentiam, ac vires tum ipſorum Principũ, tum aliquorum Magnatum ipſis adhærentium, contra eoſdem inſurgere,vt ſe,& totam Rempublicam ab ipſorum tyrannide liberent:& ideo omnium conſenſu ad Pontificem,tanquam ad communem Patrẽ, & Dominum ſpontaneè recurrũt,eius authoritatẽ atq;auxilium veluti filij implorantes,
vt

vt à Gallis contra Childericum, & à Lusitanis contra Sancium factum legimus.

131. De aliis exemplis à te adductis quid dicendum? Relgeito parattentè Authores, qui illa referũt, & si nõ habes mẽtis oculos passionis nebula erga tuum Regem offuscatos, clarissimè videbis in illis omnibus depositionibus, quas Summi Pontifices peregerunt, vel peragere intentarunt, aliquẽ ex tribus casibus, & quandoque omnes tres, vel saltem duos occurrisse. Nec ex hoc (R. P.) detrimentum aliquod Pontificum authoritati resultare potest; vt optimè sentit Papa Nicolaus, cum dixit [b]. *Nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vturpauit: quoniam idem mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit.* Vnde Pater Molina postquam pleraque circa præfatam Pontificis potestatem proponit, ex illis sic tandem infert [c]. *Ex dictis infero, primò Summo Pontifici via ordinaria, cessanteque fidei causa, & exigẽtia, nõ qualicunque sed admodùm graui per comparationẽ ad finem supernaturalẽ, neq; pertinere creare Reges, & alias potestates laicas, neq; etiã eas deponere,*

b c. cũ ad verum dinst. 96.

c dicta disp. 29. §. citato.

postulante id recta ratione, occurrentéque iusta, & vrgente causa. Optimum tamen consilium est, vt quando dubij alicuius potest esse suspicio, & quando non tota Respublica, sed maior illius pars consentit, consulatur Summus Pontifex, vt eius interueniente authoritate, id fiat in maiorem causæ iustificationem.

132. Quinimò ille alius Pontifex non solum idem significauit, sed clarissimè etiam expressit, asserens [d]. *Non solùm in Ecclesiæ patrimonio (super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem) verum etiam in aliis regionibus, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem casualiter exercemus: non quòd alieno iuri præiudicare velimus, sed quia, sicut in Deuteronomio continetur* [e]. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c. venies ad Sacerdotes Leuitici generis, &c. qui iudicabunt; vel (vt alij legunt) indicabunt tibi iudicij veritatem.* Quid igitur (dicas mihi ingenuè R.P.) voluit Pontifex iste, in duabus illis clausulis: *certis causis inspectis*: & : *temporalem iurisdictionem casualiter exercemus*; significare, nisi quod modernus Lusitanus tantummodò admittit? Si certis causis inspectis: ergo non semper, vt tu falsò dicis, sed solùm, quando illæ cer-

tæ

tæ causæ concurrerint. Si casualiter, ergo similiter non semper, sed quando casus id postulauerit. Casum autem istum, ex præfato moderno Lusitano triplicem supra assignauimus, in quorum quolibet Pontifex non solum potest, sed ex suo pastorali officio etiam debet præfatam suam potestatem indirectam in Regna, & Principes temporales liberè,& licitè exercere. Quibus quidem addi potest ille alius casus, quem Pontifex ex Deuteronomij authoritate adiecit: quando nimirum, ei, vel eis, ad quem, vel ad quos causam decidere de iure pertinet,difficile, & ambiguum visum fuerit tale iudicium:tunc enim præcipiebat Deus,vt recurreretur ad Sacerdotes,qui in tali casu,vel iudicare poterant causam, vel, iuxta aliam versionem, ipsis iudicibus indicare (hoc est docere) veritatem iudicij faciendi.Quod gloss. apertissimè exponit dicens. *Scilicet cum requirimur, vel cum variatum est inter iudices,siue ambiguum, tunc recurritur ad iudicium Ecclesiæ.* Ergo non absolutè, (vt tu falsò dicis) recurrendum est semper ad Pontificem, sed in certis casibus,& certis causis inspectis, vt ipse Pontifex docet;cuius doctrinam sequutus est ad

vnguem dictus modernus Lusitanus,& nos etiam cum illo; quinimò & ipsi principales Doctores, quos pro te ignoranter citas, si quid in hac quæstione dixerunt, rectè discutiatur, vt statim videbis.

133. Ex eo igitur probare intendis, falli omninò modernum Lusitanum in dicta moderatione assignanda, quod Pater Azor, Suarez, & alij absolutè, & sine vlla distinctione teneant posse à Pontifice exauthorari Reges. Hæc tua loquutio, siuè hęc tua verba non solùm sunt barbara, & absurda, sed etiã falsissima. Barbara, & absurda, quia si hoc ita esset, qualicumque prætextu, imò & nullo, posset Pontifex pro libito Reges, ac Principes supremos exauthorare: potestas namque absoluta, & sine distinctione, ac limitatione ex sua natura hoc postulat, quòd vt exerceatur, non præsupponat, imo nec requirat causam aliquã, ob quã sic, vel sic operetur, sed merè libera sine vlla causa operatur, vt ille alius dixit. *Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione volũtas*. Quid igitur barbarius? quid absurdius? maximè ab homine docto reputato sic inconsideratè prolatũ? Consule (R.P.) Apostolica Breuia, quæ Motus proprij nominãtur, & ex illis addisces, quòd licèt

cèt Pontifices ex propria ac libera voluntate ea emanare ſupponant, ſemper tamen addãt illas alias duas clauſulas: *ex certa ſcientia*: ac *matura deliberatione*: ex quibus apertè omnibus cõſtet nõ à voluntate cæca, ſed oculata ob rationes vrgentiſſimas emanaſſe. Vnde ſi Pontifices cùm directa, ſuaque propriiſſima vtuntur authoritate, propter cauſas nõ qualeſcunque, ſed vrgentiſſimas ſemper operantur; quomodo in remouendis, ſeu abdicandis Regibus authoritate indirecta ab ipſorum Regnis, abſolutè, ac ſine vlla diſtinctione, & limitatione procedere debent? Nõ dico tamen de te, quòd ita barbarè, & abſurdè autumaſti; ſed tantùm quòd paſſione omninò cæcus aduerſus Luſitanos, barbarè, & abſurdè ſis loquutus: ex eo maximè, quia nec Pater Azor, nec Suarez, imo nec alij à te citati (licèt de aliis nihil curo) ita loquantur, imò ſatis diuersè, ac diuerſis omninò verbis.

134 Proinde dixi ſupra, loquutionẽ tuam, ſiue verba tua falſiſſima eſſe: prædicti nãq; Patres cũ magna diſtinctione, & limitatione, non verò abſolutè (vt tu falsò illos adducis) de propoſita quæſtione loquũtur. Quòd in primis de Azorio ſic oſtendo. *Si ſermo ſit*

 (inquit

d 2.p.lib. 11.cap.5 non 4. vt tu citas q. 9. §.si autem.

(inquit ille d, & sunt formalia verba à te relata) *de Christianorum Regibus, non videtur populus id iuris, & potestatis habere absolutè, & simpliciter inconsulto, vel inscio Pontifice Romano.* Ergo si populus consulat Pontificem, vel illum certiorem faciat, non negat Azorius posse per se, & authoritate propria Regem deponere, Regnoque priuare. Consequentia est immediata, quam nec tu, nec aliquis mediocriter Logicus negare potest; quia cùm ex eo tantùm dicat non posse populum simpliciter, & absolutè, quòd deficiat consultatio, vel scientia Pontificis, vna, vel altera interueniente, absque vllo dubio poterit: ergo falsò asseris in tua sexta resolutione P. Azorium docuisse absolutè, & simpliciter, & sine vlla distinctione, & limitatione posse Pontificem Reges exauthorare, supponendo non posse populum per se solum sine Pontifice: nos enim non negamus Pontificem per se solum posse, si casus occurrerit, in quo opus sit, vt vtatur potestate illa sua indirecta, quam cum communi fatemur illum habere. Et ratio est euidentissima: Azorius enim non negat, imò supponit populum præfatam habere authoritatem Reges exauthorandi

di, si in exercitio sint Tyranni, sed tantùm requirit ad hoc, vt illam exerceat, quòd priùs consulat Pontificem, vel certiorem faciat: quod sanè nihil aliud importat, nisi quod supra ex P. Molina retulimus, nimirum; *Optimum esse consilium, vt quando dubij, alicuius potest esse suspicio, &c. consulatur Pontifex*; non vt validè fiat, vt tu deducere intendis, sed, *vt eius interueniente authoritate, in maiorem causæ iustificationem fiat.* Vnde illa consultatio, seu scientia Pontificis antecedens, iuxta verba Azorij, non requiritur ad esse (vt loquuntur Logici) sed tantùm ad meliùs esse: ac proinde non occurrente aliquo ex tribus casibus supra assignatis, sine vlla consultatione, vel scientia Pontificis antecedente poterit Regnum, si secundum iura meretur, Regem deponere: (In nostro autem casu maiori certitudine, quia si Pontifex priùs consuleretur, quis dubitat, quòd diuulgata Regni intentione, effectus penitus impediretur?) quod Pater Azorius non obscurè insinuat cùm dicto loco loquens de præfata Pontificis potestate, non semel asserat illam habere iure, & habitu, in actu autem solum in certis causis, hoc est in certis casibus, vt nos etiam con-

cedimus: ergo non absolutè, & simpliciter; sine vlla distinctione, & limitatione, vt tu illi mendaciter imponis.

135. De Patre autem Suarez quid dicam; nisi quod tu (R.P.) etsi legisti, vel non intellexisti, vel noluisti intelligere (ne dicam nõ potuisti) Dicit enim loco à te citato q. *Potestatem deponendi Regem esse posse vel in Republica; vel in Summo Pontifice; diuerso tamen modo: nam in Republica per modum defensionis necessariæ ad conseruationem suam: at verò in Summo Pontifice, tanquam in superiori habente iurisdictionem ad corripiendum Reges etiam supremos, tanquam sibi subditos.* Ergo iam ex ista sua prima resolutione; siue doctrina non negat Pater Suarez Rempublicam habere potestatem deponendi Regem tyrannicè gubernantem; quamuis supponat non tanquam superiorem (licèt alibi contrarium docent; vt infra ostendam) sed per modum debitæ, seu necessariæ defensionis.

q *contra Reg. Angliæ lib. 6. c. 4. à num. 15.*

136. Deinde ad illud, quod ex dicto Patre probare intendis, non posse nimirùm Rempublicam Regem Christianum deponere, nisi interueniente Summi Pontificis authoritate. Respondeo Patrem Suarez nõ

hoc

hoc asserere absolutè, & sine vlla distinctione, & limitatione, vt tu illi falsò imponis (sicut & Azorio) sed restrictiuè, & cum maxima limitatione: sic enim à te relatus asserit. *Nihilominus Regna Christiana, quoad hoc, habere aliquam dependentiam, & subordinationem ad Pontificem Summ.* Ergo non absolutam, & sine vlla distinctione, & limitatione, vt tu mendaciter ei attribuis. Et benè deducitur non loqui P. Suarez absolutè, & sine vlla distinctione, & limitatione ex casibus, quos per modum probationis dictæ dependentiæ, & subordinationis proponit. Primus est, *quia potest Pontifex alicui Regno præcipere, vt se inconsulto contra Regem suum non insurgat, vel illum non deponat, nisi priùs causa, & ratione ab ipso cognita, propter mortalia pericula &c.* Ergo secundum mentem P. Suarez, si Pontifex antecedenter id non præceperit, poterit Regnum vti iure suo, deponendo Regem, si meretur deponi (quod semper supponitur:) Consequentia valet, quia P. Suarez non docet Regnum teneri petere à Pontifice licentiam, seu potestatem deponendi suum Regem, sed tantummodò Pontificem pręcipere posse Regno, ne illum deponat, nisi priùs causa

causa à se cognita: & hæc duo sunt inter se valde distincta, quia licèt superior possit iubere inferiori, ne faciat tale, vel tale opus; non proinde sequitur non posse inferiorem illud facere, quando superior expressè non prohibuit, & cessante prohibitione, poterat licitè illud facere: ergo apertè supponit posse Regnum deponere Regem nisi Pontifex antecedenter contrarium præcipiat. Quod etiam euidentissimè probatur ex alia doctrina dicti Patris. Nam postquam probat Pontificem habere potestatem indirectam in Principes, & Regna, ita ait [f]. *Nihilominus Pontifex non interponit authoritatem, ne fortasse sequantur maiora mala: tunc verò Principes supremi non tenentur facultatem à Pontifice extorquere, sed quamdiu non prohibentur, possunt ius suum prosequi.* Sed in nostro casu nec Respublica Lusitana, nec Rex Ioannes prohibiti sunt à Pontifice ius suum contra Catholicum Regem Philippum Quartum prosequi; ergo licitè, ac validè illum deposuerunt, quantum ad potestatem suam pertinebat suppositis causis de quibus supra, & remissiuè ad Authores ibidem citatos. Vnde ex hoc primo casu nihil contra nos ex doctrina P. Suarez euincitur,

f *tract. de charit. disp. 13. de bello, sect. 2. num. 5.*

citur, quamuis enim possit Pontifex Regno præcipere ne se inconsulto Regem deponat, cum tamen id non præceperit, potuit Regnum, & ipse Rex Ioannes vti iure suo deponens illum, qui merebatur, vt probatum relinquimus.

137. Secundus casus, in quo P. Suarez docet Regnum Christianum à Pontifice dependere, est: quia *potest Pontifex non solum consulere, aut consentire, vt Regem sibi perniciosum deponat, sed etiam illi præcipere, & cogere, vt id faciat, quando saluti spirituali*, &c. Ex qua quidem dependentia non euincitur non habere Regnum ex se potestatem illum deponendi: imò apertè deducitur illam omninò habere: quia si eam ex se non habuisset, Pontifex solùm consulendo, aut consentiendo, non illi eam dabat, non enim sequitur ex eo, quòd vnus consulit, aut consentit, quòd alius aliquid faciat, dare illi authoritatem, quam ipse ex se non habebat ad illud faciendum, imò supponitur illam ex se habere: Et licèt præcipiens, & cogens debeat illam habere, nos non negamus Pontificem habere authoritatem in aliquibus casibus, in quibus eam potest per se exercere, ac consequenter cogere, & præ-

cipere

cipere Reipublicæ, vt eam exerceat, si ei nō deficiant vires. Ex quo confirmatur quod docet modernus Lusitanus, nimirùm quòd cum Respublica, aut non audet, aut negligentem se præbet in expellendo tyranno, potest Pontifex per se illum deponere. Ad id, quod tertiò addit P. Suarez, in tali scilicèt casu dictum præceptum esse iustissimum, fatemur & nos tale esse, sed quid inde contra nos? Ego sanè nihil video, si tu aliquid indiuinas, nobis illud expone, vt tibi respondeamus. Vnde concludendum omnino est, Patrem Suarez nihil, contra quod statuimus, docuisse, imò ex ipsius doctrina euidenter deduci nobiscum sentire; non enim (vt patet ex ipsius verbis à te adductis) concedit Summo Pontifici absolutam potestatem, sine distinctione, & limitatione exauthorandi Reges, sed in certis casibus tantùm, & licèt eos non exprimat, ex ipsius tamen verbis non obscurè colligitur, esse eosdem, quos supra assignauimus, quod ex proximè sequentibus clariùs patebit.

g d. tract. resol. 6. §. nec obstat.

138. Prius tamen non possum nō aliquid dicere, circa rationem illam, quam ex tuo sano marte confidenter reddis g. vt non ob-

stent

ſtent exempla, quæ tu ipſe in defenſionem authoritatis populi adducis: videlicèt de Chilperico, Theodorico, Carolo Craſſo, & aliis; aſſeris enim, *quia forſitan effecta ſunt conſulto priùs Romano Pontifice.* Vnde (dicas mihi amicabiliter) illud *forſitan* extraxiſti? ex Hiſtoriis? non: minus ex Doctoribus, vel antiquis traditionibus. Vnde ergo? Ego ſane non video, niſi fortè cerua aliqua, vt Sertorio, vel aliqua auicula, vt de alio traditur, auriculæ tuæ reuelauerit. Secundam addis rationem, & meo quidem iudicio veriſſimam: *dicendum* nimirum, *non tam ſpectandum quod factum eſt, quàm quid fieri debuerit.* Sed hæc ratio, etſi veriſſima, vt dixi, eſt contra te, quia illâ ſuppoſitâ, vt exempla in tuæ opinionis fauorem à te, & ab aliis adducta, aliquid conuincerent, priùs probare debebas facta fuiſſe ſecundùm id, quod debebat fieri; & non expendere chartam, & tempus in probanda abdicatione Childerici, quia vel fuiſſet à populo facta priùs conſulto Pontifice, vt multi enarrant, vel ab ipſomet Pontifice, vt plures alij: non deſunt tamen qui aſſerant iniuſtè fuiſſe depoſitum, non enim iudicant ſufficientem

rationem

rationem eius abdicationis, quæ in illo iuris capite refertur, quia ille non erat Tyrannus, ſed ſolum ineptus; de quo ego non diſputo, ne videar falcem in alienam mittere ſegetem. Sed tantùm te amicabiliter admoneo, vt antequam ſcripta tua typis mandes, quid in ipſis contineatur maturè ac ſine paſſione, vel amore proprio perpenſius ſemel, atque iterum perlegas, & examines.

h n. 133. in fine.

139. Ad inſtitutum reuertens, dixi ſupra [h], non multum, ſiue nihil curare illos alios Authores, quos tu antonomaſticè Hiſpanos vocas, quaſi inſuperabili ſcientia præditos, quia ſemper Caſtellanos aſſentatores cognoui, quod ſatis ſuperque his noſtris temporibus toti orbi innotuit, illos præſertim, qui in hac cauſa, vel ex profeſſo, vt tuus amiciſſimus Nicolaus Fernandez de Caſtro in illo ſuo infando volumine, vel obiter, vt cæteri alij, aliquid ſcripsêre. Veruntamen ad id, quod ex Cardinali Turrecremata, fallaciter, ſeu ſaltem æquiuocè adducis, propter authoritatem tum perſonæ, tum etiam dignitatis, aliquid reſpondere neceſſarium omnino duxi.

140 Tu igitur aſſeris *dictum Cardinalem firmaſſe propter hæreſim, ſchiſma, & alia crimi-*

na

crimina intolerabilia in perniciem totius Regni, nõ posse populũ, vel Proceres Regni deponere Reges, sed hæc spectare ad Papã propter indirectã potestatem, quam habet in temporalibus in ordine ad spiritualia. Vnde oportet formalia verba Cardinalis proponere, & ea dilucidè examinare, ne qui tuam legerint allegationem, ita illum firmasse putent, sicut tu dicis. Loco igitur à te citato [i], sic asserit. *Romanus Pontifex videtur iurisdictionem aliquam etiam in temporalibus habere, quia non solum Principes sæculares circa vsum suæ iurisdictionis delinquentes, potest per censuram ecclesiasticam coërcere, verum etiam eos notabiliter negligentes à dignitate deponere.* Iam ex hac Cardinalis propositione, siue conclusione euidenter constat, eum non absolutam, & sine distinctione, & limitatione (vt tu dicis) Romano Pontifici iurisdictionem concedere, sed tantummodo aliquam, (hoc est in aliquibus casibus) vt nos, & omnes etiam Catholici nobiscum ordinariè concedunt. Deinde ad probandam, seu potiùs corroborandam dictam suam propositionem, non ex se, sed ex Petro de Palude ita adiungit. *Quia demeretur deponi* (id est Rex) *quia bonum commune est præferendum priuato:*

i *in sum. de Eccle. lib. 2. c. 114. proposit. 4.*

N *debet*

debet deponi per superiorem, & quia illi de Regno, siue sint Proceres, siue alij, sunt inferiores eo, & inferior non potest iudicare superiorem, ideo non potest ab eis deponi. Sed quia Papa est superior eo in spiritualibus, & per consequens in temporalibus, in quantum necesse est pro bono spirituali conseruando, & ille sana conscientia non potest retinere Regnum, ad quod est insufficiens, & indignus, per consequens Papa potest eum monere, vt Regno cedat: & si nolit facere, excommunicet eum; & si in excommunicatione perseueret, potest, vt dictum est, deponere, & subditos ab eius subiectione absoluere. Hæc omnia dixit Petrus de Palude relatus à Cardinali, qui illius authoritate posse Pontificem Regem ineptum, seu delinquentem deponere, probare intendit. Sed illa non satis inter se cohęrent: quia aliud est Regem esse ineptum, seu delinquentem, & aliud esse tyrannum in exercitio suæ Regiæ potestatis: deinde aliud est, esse tyrannum & aliud esse factum hæreticum, seu schismaticum. Vnde diuerso modo de horum quolibet est iudicandum.

141. De Rege igitur inepto, si est legitimus Rex (vt de omnibus istis supponimus) puto

to quod nec à Pontifice, nec à Regno possit deponi: licèt enim bonum commune, vt docet Petrus de Palude, præferendum sit priuato, aliud remedium inueniri potest minus rigorosum quàm deponere legitimum Regem, vt communi prouideatur bono, non enim sunt facienda mala, vt veniant bona; cum non sit dubium ex sua natura malum esse deponere Regem legitimum, nisi omnino sit necessarium ad conseruationem Regni, nec aliud inueniatur remedium nisi ipsius depositio; sic enim ab Scotis legimus factum, qui Ethodium Secundum, quamuis insufficientem, & ineptum ad Regnum moderandum, non proinde deposuerunt, sed gubernatores, seu præfectos in omnibus Regni Prouinciis constituerunt, qui tanquam Regis curatores ipsas administrassent k. Sic similiter Innocentius Quartus conquerentibus Lusitanis de Sancio Secundo propter ipsius ineptiam, & incapacitatem, Regis curatorem, Regnique gubernatorem Alphonsum ipsius Regis germanum fratrem, qui post illius obitum debebat legitimè succedere concedendum decreuit, vt testificãtur dicti Regni Chronologi, & habetur ex-

k Buchã 4. lib. Scotór.

presse in iure Canonico [l]. Quod quidem ex eodem iure [m], censetur obseruandum de Prælato, qui non potest munus suum exercere ob aliquem defectum, seu impedimentum, vnde introductus est mos creãdi Episcopos illos titulares, qui suffraganei communiter dicuntur, qui ob defectum, incapacitatem, seu impedimentum Ordinariorum, ipsorum muneribus funguntur. Imò cum Carolus VII. Galliæ Rex se ipsũ ineptum cognoscens, cum certis pactis, & conditionibus, Henricum V. Angliæ Regem sui Regni curatorem destinasset, nullo modo adduci potuit Pontifex, vt præfatam curatoriam confirmaret, ac proinde in suo gubernio permansit vsque ad suum obitum.

142. De Rege peccatore, seu delinquente etiam in administratione, dicendum; posse Pontificem, non vero Regnũ, punire, & coërcere, sicut quemlibet alium Christianum, quia, licèt sit Rex, non minùs est illi superior Pontifex, quàm cæteris aliis Christianis in materia spirituali, qualis illa est, seruato tamen (vt prudenter solent agere Pontifices) respectu, & authoritate personæ Regiæ. Quod quidem ad Regnum nullo

l c. grãdi. de supplen. neglig. prælat. in 6.

m cap. petiisti 7 q. 1.

nullo modo attinet, cum nullam circa ſpiritualia authoritatem habeat, vt eſt per ſe notum. Vnde quamuis Rex peccet in adminiſtratione, non proinde ſequitur poſſe deponi; quia ſi quilibet Rex, vel Princeps ſupremus propter peccata, & delicta commiſſa, etiam in adminiſtratione deponi deberet, vt videtur ſentire Petrus de Palude, quis Rex non mereretur deponi? nullus ſanè inueniretur, qui depoſitioni obnoxius non eſſet. Nec attendendum eſt ad exempla (vt tu ſupra contra te ipſum aſſeris) plures enim fuêre depoſiti, de quibus non pauci Doctores affirmant iniuſtè fuiſſe depoſitos, propter legitimæ cauſæ defectum, vt omiſſis aliis, de Childerico tenent grauiſſimi Authores, ex quibus tu ipſe aliquos adducis, non enim putant ſufficientem cauſam ipſius depoſitionis, quam Hildebrandus reddidit n, & aſſignatur in ipſo iure o.

n epiſt. ad Henr. Metenſ.
o c. alius 15. q. 6.

143. De Rege autem hæretico, ſchiſmatico, vel alio modo contra fidem, ſeu Eccleſiam delinquente, non eſt dubium poſſe, imò deberi à Pontifice deponi, ſeruato tamen ordine, quem docet Petrus de Palude: videlicet, quia primùm debet eum ad-

monere, non vt Regno cedat, ſicut ipſe aſſerit, ſed vt ab errore reſipiſcat; deinde ſi noluerit, excommunicare: ac tandem, ſi in excommunicatione tenaciter perſeuerauerit, eum deponere, ſubditoſque ab eius ſubiectione abſoluere. Quod Regnum facere non poteſt, quia nullam in ſpiritualibus authoritatem habet; quamuis de mandato, ſiue conſenſu Summi Pontificis, poſſit eum à Regno detrudere, tanquam executor vltimæ ſententiæ, ſeu declaratoriæ ipſius Pontificis.

144. Noſtra tamen quæſtio de nullo horum Regum agitatur, ſed tantummodo de Rege propriè, & formaliter tyranno in exercitio. In qua quidem communis Doctorum ſententia eſt, abſolutè loquendo, poſſe iuſtè, ac legitimè à Republica deponi: illos potes videre fideliter citatos apud illud modernum Luſitanum P, quem tu dicis omnino falli. Nec argumentum Petri de Palude, quo vtitur Cardinalis Turrecremata, cuius authoritatem amico Lectori iactanter inſinuas tibi debitam, aliquid in contrarium euincit: ſupponit enim falſum. Ratio eſt, quia in eo caſu (videlicet ſi Rex ſit tyrannus in

P 1. p. §. 3. *num.* 10. *& ſeqq.*

in exercitio, de quo ſolum agitatur præſens quæſtio) quamuis proceres, ſiue alij de Regno diſiunctiuè ſumpti ſint Rege inferiores, & inferior non poſſit iudicare ſuperiorem; attamen ſi ſumantur collectiuè, provt totam Regni conſtituunt Rempublicam, non ſolùm non ſunt inferiores Rege, ſed etiam ſuperiores in eo caſu Nam vt benè notauit P. Azorius q. *Etſi populus in Regem poteſtatem ſuam tranſtulerit; non tamen ita, vt ſe omni iure abdicauerit.* Et infra: reſpondens ad propoſitum Petri argumentum tacito tamen nomine. Videlicèt: *Populus inferior eſt Rege, ergo neque eum Regno priuare poterit.* ita addit, *tunc Populum Regi abrogare Regnum, velùt iudicem per ſententiam, & condemnationem criminis pernicioſi Reipublicæ; vel iure naturali, vt vi vim repellat, vt ſe tueatur; & ſeruet.* Quod ſimiliter docet P. Suarez contra Regem Angliæ r. ſed alibi ſ, clariùs ad præſens noſtrum intentum: loquens enim de tyranno quoad regimen; defendenſque non poſſe particulares ſubditos bellum contra illum mouere, ita addit:

q 2.p.lib. 11. c. 5. q. 9.

r lib.6.c. 4.n. 15.

ſ tract. de charit. diſp. 13. de bello ſect. 8. num. 2.

At verò tota Respublica posset bello insurgere contra eiusmodi tyrannum, neque tunc excitaretur propria seditio. Ratio est, quia tunc tota Respublica superior est Rege, nam cum ipsa dederit illi potestatem, ea conditione dedisse censetur, vt politicè, non tyrannice regeret, aliàs ab ipsa posse deponi. Vnde non rectè argumentatur Petrus de Palude, siue Turrecremata ex eo, solùm à Papa posse Regem deponi (si meretur) quia solus Papa est superior eo, & alij de Regno sũt omnes inferiores, nã, vt supra diximus, illi de Regno collectiuè sũpti, prout formãt, & cõstituũt totã Rẽpublicam, in eo casu sunt eo superiores, vt dicit P. Suarez, cuius quidem doctrina in hac parte est communis, & approbata ab omnibus Catholicis.

145. Quibus in tua secunda resolutione addis Henningum Arnisæum [t], qui etiã ita sentit, quamuis authoritatis Principum acerrimum se præstet defensorem. Sed miror, imò & admiror te (R. P.) qui cum sis, vel præsumas esse doctus, eundem Authorem in sequente resolutione pro opinione contraria similiter adducis, licèt ex alio libro [u], ille tamen in sua defendenda opinione constantissimum se præstat in vtroque, tenacitérque tenet nullo euentu posse

[t] *de authoritate Princip. in populũ semper inuiolabili, c.4 n. 1. & seq.*

[u] *videlicet de iure Maiest. lib. 1. c. 6.*

populum suum Regem deponere. Sed quem Regem, & ob quam causam? Regem asserit legitimum, iustóque titulo Regnum possidentem, non tyrannum, sed ineptum, seu malè Rempublicam administrantem: & ob hanc causam non solùm in secundo loco à te citato, sed etiam in primo, nō posse populum illum coërcere, seu deponere acerrimè defendit: imò nec Summum Pontificem, quia (vt asserit) peccata illa, & defectus, etsi mereantur animaduersionem, non tamen illam vltimam, qualis est depositio. Et ad probandam istam suam opinionem in vtroque libro multa congerit, partim vera, partim falsa, partimque dubia, de quibus ad me non attinet modò disserere, imò nec examinare.

146. Loquens autem non iam de Rege defectuoso, ac inepto, sed de Tyranno, distinguit cum communi sententia Tyrannum in titulo à Tyranno in exercitio. De illo sic habet x: *Res plana est, & sine difficultate, decisa apud omnes, quòd sine peccato repelli possit, aut si per vim solium conscenderit, licitè inde detrudi*. Et post pauca: *non alio quàm hostis loco esse debet*. De hoc autem ita adiungit y: *Dubitant idem, scilicet, quod à Repu-*

x vbi supra de author. Princip. num. 12.

 blica

blica abigi posit, asserere nonnulli, vt Tholosan. lib. vltim. de Repub. cap. vltim. Barcla. lib. 6. cap. 19. Bodin. lib. 2. cap. 5. quorum rationes non aliò eunt, nisi vt demonstrent propter legitimam successionem in Tyranno manere potestatem legitimam; & proinde subditorum obligationem, sed nec eo in casu rectè discernunt Tyrannum à Principe degenere. Et infra: *In tyranno enim etiam quam legitimam nactus erat, potestas malè agendo perit.* Vnde numero sequenti firmat, cum non datur aliud remedium à subditis ipsis posse huiusmodi tyrannum à Republica amoueri: quęstionem autem de cæde eius, piis animis considerandam relinquit, nisi extrema necessitas id exegerit.

147. Ecce (R.P.) quomodo refers, & citas pro tua opinione tot Authores. Adducis pro te Arnisæum affirmans illum asserere non posse Reges à populo deponi, cũ ille contrarium omninò defendat, quando agitur de Rege Tyranno in exercitio (de quo tantùm est nostra quæstio) licèt distinguat inter Principem tyrannum, & degenerẽ: tu verò vtrumque confundens in vno loco illum citas pro vna opinione, & in alio pro altera omnino opposita. Quid est hoc, nisi

nisi quod in principio huius meę admonitionis, ex quodam non parum docto Castellano retuli. *Moneat Cornicula risum furtiuis nudata coloribus?* Depone (R.P.) depone literaria arma, & licet immeritò emeritus remea inPatriã, quia si sẽper alienis (in aliquorum opinione, quibus omnia noua magis placent) te exaltasti laboribus, cognito iam quòd furtiui essent, non est dubium, quin ab ipsismet deiiciaris, ac contemnaris: tuaque Diana verè cognoscatur esse Diana, hoc est ab aliis, non à se lumine proprio lucens.

148. Quod vt clariùs videas, recole, quæ in tua tertia resolutione proponis; & inuenies nobis notũ esse, quod eã verbo ad verbum cum allegationibus Doctorũ ac iurium citationibus ex prçfato Arnisæo transcripsisti, nisi quod iste incipit: *Cõsiderandũ est & illud argumentum, quod Vasquius proponit. lib.* 1. *&c.* Et tu: *Nec obstat dicere quod Vasquius lib.* 1. *&c.* Et paulò infra ille dicit. *Denique donatio fit irreuocabilis &c.* Tu verò: *Et tandẽ donatio fit irreuocabilis &c.* Ex quo patet in tota illa tua resolutione nihil esse tuum, nisi illud *tandem* pro *denique* Arnisæi. Similiter, & quartam ab eodem totam emendicasti, iisdemmet verbis, allègationibus, imò & punctis,

punctis, ac virgulis, præterquam quòd ipse incipit: *Quis extitit deterior*, &c. Tu verò, *Et quidem quis extitit deterior*, &c. Ex quibus apertè iam vides (R.P.) verissimum esse, quod ille doctus Castellanus, & ego nunc dicimus, Dianam scilicet tuam furtiuis semper resplenduisse fulgoribus.

149. Sed quod peius est, & iusta animaduersione dignum, hominem saltem apparenter doctum, sensum, & verba Authorum, quos pro sua citat opinione, in alium omninò oppositum detorquere, ita, vt quod illi de quodam dubio, seu controuersia affirmant, de alia toto cœlo opposita ipse confingat; vt qui illorum scriptorum copiam habere non potuerint, ita esse existiment, sicut ab ipso refertur, cum tamen penitus sit contrarium. Quod tu (R.P.) in dictis tuis resolutionibus non sano fecisti consilio, vereri enim prudenter debebas, libros illos Arnisæi, quamuis Francofurti excusos, posse sicut ad tuas ad aliorum manus peruenire, qui patenter cognoscerent, ex illis francum te excerpsisse furtum, seu potiùs cum franco in manibus te deprehenderent furto.

150. Verum his missis, dicas mihi (R.P.)
qua

qua fronte in ſupremo Solio,ſeu vniuerſali Curia Eccleſiæ Catholicæ, tuam niteris defendere opinionem argumentis, & rationibus, ne cauillationibus, & ſophiſmatibus dicam, Authoris, qui non benè ſentit de ipſius poteſtate? Non vidiſti, aut potiùs non intellexiſti Arniſæi, præſertim in illa ſua commentatione politica de authoritate Principum in populum ſemper inuiolabili, & ſi videatur authoritatem populi in Principes infringere velle, ſcopum principalem, in quem venenoſam ſuæ argumentationis ſagittam collimauerit, authoritatem eſſe Pontificiam, de qua ipſe peſſimè ſe oſtendit ſentire.

152. Vos, ô Lectores, non iam amicos, ſed doctos, & rectos coram Omnipotente Deo obteſtor, vt inter me, & R.P. Dianam diiudicetis, ſententiámque de iis feratis, quæ ego non odio, aut aliquo alio prauo correptus affectu de Arniſæo, cuius auxilio dictus P. ſuam ſtabilire ſententiã indebitè prætendit contra mentem ipſiuſmet ſui Doctoris, ſuperiùs dixi: vt ex ſequentibus facilè perſpicietis. In primis de Gregorio VII. ſic ait, ſeu potiùs ipſum inurit y. *Latiùs Gregorius VII. qui primus audaciæ ſubditorum,*

y *d. commentat. c. 1. n. 3.*

ditorum, in perniciē Princ pū, coniuratorū, fenestram aperuit, cū Romanos ab obedientia Hērici Quarti abducere allaboraret: & cætera, quæ progreditur. Eodē c. n. 3. *deridet Sanderum ex imprecatione Eliæ, qua ignem deuocauit de cælo, & cōsūpsit Centuriones, probare potestatem Pōtificis in abdicandis Regibus*. Ibidē n. 10 cōdēnat id, quod ex Auent. refert, Dixisse nimirùm Francis Zachariā, cum de Childerico cōsuleretur: *Regē plebs cōstituit, eādē & destituere potest*. Similiter etiam quod refert ex Augustino de Ancona: nimirùm, *Imperatorē à Papa posse deponi, quis ibit inficias? eius enim est deponere Imperatorem, cuius est eūdem cōstituere; id quod exempla ipsa declarant*. Deinde insurgit contra Bellarminum, & alios qui contrarium docuerunt. Mitto pleraq; alia, quæ in eandem sententiam sparsim per totam præfatam cōmētationē congerit, omnia directè authoritati Pontificiæ opposita, vt de Hērico Quarto Imperatore: de Henrico VIII. Angliæ Rege, pro hæretico ab Ecclesia dānato: de Tertio, & Quarto Hērico Galliæ Regibus: Tādem post hæc omnia, & alia plura, sic concludit z. *Etenim vulgus impetū facere solet in Principem degenerem nō minus, atq; in Tyrannū. An vero vulgus? imò Pōtifices ipsi, qui se supra errores efferūt*. Et dein-

z *d. commēt. c. 4. à num. 2.*

de ſpecifice nominat omnes illos Pōtifices, qui diuerſos principes à Regnis,& principatibus depoſuerūt,nulla pręcedēte cauſa iuſta, ac proinde ſine authoritate, vt ipſe nititur defēdere contra Doctores Catholicos, qui cōtrariū docuerūt.Hic eſt Author(Docti,& Recti Lectores) à quo R.P.Diana,illa omnia,quibus hūc ſuū tractatū cōpegit,maiori ex parte emēdicauit.Vos vt Iudices inuoco, vt inter me,& ipſum diiudicetis, & ego sētētiæ veſtræ me totū, & mea ſcripta ſubiicio, nihilq; in mei defēſionē vltra adducā.

152.Sed tādē ad te reuerſus(R.P.)Si tu tam acriter tamq; inaniter in tua nona parte.tr. 9.miſcellan. reſol.9. *meminiſti P. Ioannis à S. Bernardino,& aliorū Cōcionatorū,qui adhuc hodie*(vt tu falſiſſimè aſſeris) *turbāt, & decipiūt Populū in Luſitania,proclamātes mendacia in veritatis ſede, & aſſerentes ſecurâ potuiſſe cōſciētiâ Brigātinū Coronā alienā inuadere.* Quomodò in veritatis Sede,Romana ſcilicèt Curia, auſus es Authorē cōtra Sūmorū Pōtificum Apoſtolicam authoritatem ſaltem ſuſpectum, non ſolùm in tuæ improbabilis opinionis cōfirmationē adducere, ſed etiā ex ipſo integras paginas,imò & folia trāſcribere?Verùm ne hoc etiā inadmonitū relinquatur,

oportet

oportet expressa dicti P. Ioannis à S. Bernardino verba primùm referre, deinde tum ea, tum occasionem, siue tempus, in quo ipsa declamauit, notanter examinare. Sic igitur sua Lusitana lingua asseruit dictus Pater [a]. *Este valor, esta r. soluçaem nacida, e acompanhada da iustiça da causa, assigura à conciencia, e promete à victoria.* Et infra ad finem eiusdem numeri. *Mais ha de sessenta annos, que aprouaran esta parte muytas Vniuersidades, muytos homẽs doctos, e à aprouaram todos os que forem liures. Torno à dizer, Corte, Cidade, Pouo Portuguez, e Reyno, à conciencia està segura, que as letras, engeños, e Vniuersidades consultadàs, naõ sam melhores, que as nossas.* Et nihil ampliùs in ordine ad conscientiæ securitatem.

a in ser. Concept. B V. habito in Regio sacello die 8. Decẽbris ann. 1640. num. 12.

153. His positis verbis, quæ in ipsamet Lusitana lingua apponenda, seu referenda iudicaui, ne versio haberetur suspecta. Dicas mihi (R.P.) ex quo, vel ex quibus illorum deducere, & affirmare potuisti præfatum P. Ioannem turbasse, ac decepisse Populum in Lusitania? Vnde collegisti proclamare mendacia in sede veritatis? Vbi continetur dixisse Brigantinum tutâ conscientiâ posse Coronam inuadere alienam?

In

In primis sermo, seu prædicatio illa, de qua agis, habita fuit die octaua post acclamationem Regis Ioannis, & exclusionem Philippi IV. vnde, si Populus Lusitanus in vtraque peragenda turbatus; & deceptus fuit, non tamen à dicto P. Ioanne, qui cùm suggestum ascendit, vtramque ab octo retro diebus peractam inuenit: ergo iam ex hac parte falsò illum turbasse, ac decepisse populum asseris. Deinde cùm omne mendacium ex diametro veritati opponatur alicui, velim amicabiliter à te scire, cuinam veritati opponeretur, quod præfatus P. Ioannes in dicto sermone proclamauit? Dices (non dubito) Philippum esse verum, ac legitimum Lusitaniæ Regem. Atqui plurimis iuribus, rationibus, ac Peritorum sententiis contrarium probatum est: ergo falsò asseris dictum Patrem proclamasse mēdacia in Sede veritatis; præsertim cum ipse non ex se, sed ex approbatione Peritissimorum hominum, vt vidisti, imò & integræ Conimbricensis Academiæ illud proclamasset. Tandem præfatus Pater nihil de inuasione Coronæ proclamauit, sed illa supposita, vt iam facta, circa ipsam defendendam, & conseruandam, non iam

vti alienam, ſed propriam, conſcientiæ ſecuritatem conſtituit. Tu verò falsò aſſeris illam eſſe alienam, ſuppoſitis iuribus, ac Peritorum ſententiis in contrarium; quibus priùs reſpondere, & ſatisfacere debueras, vt tua propoſitio aliquid euincere poſſet. Aſt, vt ex tota iſta mea admonitione, apertè, euidenterque conſtat, nec tu, nec Scriptores Caſtellani aliquid vſque modò contra Regis Ioannis acclamationem probare valuiſtis: ergo non dictus Pater Ioannes, ſed tu in Sede veritatis mendacia proclamas: à quibus ſincerè, & amicabiliter tedeprecor, vt in poſterum abſtineas, ne Luſitanorum calamos meo ardentiores ſentire, ac experiri cogaris.

154. Si tamen (R.P.) ille ardens ac inurẽs tibi videatur, dona mihi (precor; verbis Apoſtoli vtor [b].) hanc (ſi qua eſt) iniuriam, tu enim me coëgiſti, imo & omnes tum Luſitanos, tum Luſitanorum propugnatores: omnes namque à te commendari, ac honorari debebant propter ſingularia beneficia, ac fauores, quibus à Sereniſſimo Rege Ioanne tua decorata eſt Religio. Vale (R.P.) & in poſterum noli quęrere fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates [c]. Cum enim

[b] 2. Corinth. 12. 11.

[c] Ecclesiast. 7. 6.

enim omnis iniquitas iuxta ſententiam Apoſtoli d. ſit peccatum; iniquitas, & peccatum maximum fuit (vt ſatis monſtrauimus) Regnum, ad quod probabile tantùm ius habebat Philippus II. (ne dicam nullum, vt volunt, & ſufficienter probarunt Luſitani Periti) armis, vi, promiſſis, imò & dolo occupare. Igitur ſi propter tuam in Reges Caſtellæ nimiam affectionem, & ſeruitutem non valebas in dictam iniquitatem irrumpere, ſaltem à tali controuerſia abſtinere penitus deberes, tum ne illam laudare videreris, tum vel maximè propter tuum Religioſum ſtatum, quem omnino decet, lites, præſertim inter Principes, ſedare, non verò excitare, & approbare. Vale iterum terque quaterque in Domino; mihique parcito.

d 1. Ioã. 3.4.

D. ANTONIVS BETANCOR
V. I. DOCTOR.

Prælum ſic corrige.

PAg. 18. lin.1. depoſitionem ,lege, depoſitio.

p.46. lin. antep. ſue , l. ſuo.

p.64. lin.5. progreſſurus, l.progreſſurum.

p.140. n.96. teſi , l. etſi.

p.269 lin.20. Nam, l.Non.

p. 173. lin.6. te , l. tu.